
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

QUAESTIONES OVIDIANAE,

QUIBUS AGITUR

DE TRISTIUM, IBIDIS, EPISTOLARUMQUE, QUAE „EX PONTO" INSCRIBUNTUR, TEMPORIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXI. M. APRILIS A. MDCCCLXXXIV.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GEORGIUS WARTENBERG

BEROLINENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

H. WINTHER, STUD. PHIL.

R. HOFFMANN, STUD. PHIL.


A. MEYER, STUD. PHIL.



BEROLINI.

TYPIS EMILII DREYERI.

MDCCCLXXXIV.


HARVARD COLLEGE
AUG 3 1896
LIBRARY.

SOCIETATI ACADEMICAE PHILOLOGICAE BEROLINENSI

SACRUM.

De carminum Ovidianorum, quae ab exsule poëta et incepta et perfecta sunt, denuo post multas multorum curas quaestionem nobis instituturis, pauca praemittenda sunt, quibus et fines, quos huic commentationi constituamus, delineentur, et via ac ratio, quam adhibituri simus, exponatur.

Agitur autem de omnibus carminibus, quae epistolarum formam prae se ferunt, non solum de Tristium quinque, epistolarumque, quae „ex Ponto" inscribuntur, quattuor libris, sed etiam de Ibide, quod poëma ab hoc genere versuum magis numero et diligentia doctrinaque impensa, quam externa forma differt. Contra sex Fastorum libros, quos iam ante patriam relictam a poëta compositos, postea secundis curis pertractatos esse constat,[1]) omittemus.

Ac quaestio quidem his finibus circumscripta, ea est, ut nonnusquam artissime cohaereat cum altera quadam et amplissima et difficillima, quae est de Ovidii amicis. Itaque inde et ea, quibus carere non poterimus, suppeditabimus singulis locis, et cavebimus, ne diversarum rerum nimis curiosi, finem itineris omittamus. Quamquam exspatiandi quaedam libertas nobis concedenda erit.

Ut autem, quam maxime fieri poterit, corrigamus, quae ab eis, qui adhuc eandem materiem tractandam sibi sumpserunt,

---

[1]) Cfr. *Merkel:* Quaestiones Ovidianae criticae. diss. Halle 1835.

minus recte vel accurate posita videantur, ea via ingredienda semperque tenenda est, ut ex ipsis praecipue rationibus, quae inter singula carmina singulosque libros intercedunt, tempora eruere conemur, argumenta e rerum memoria extrinsecus illata, nisi quae et certissima sunt, et ad quaestionem absolvendam necessaria, secundo demum loco adhibeamus. Nam id maxime displicet in eorum, qui nostra aetate doctrinam ingeniumque in hoc campo exercuerunt, disputationibus[1]), quod paucis locis, quibus Ovidius rerum aetate ipsius gestarum mentionem facit, nimium ponderis tribuerunt. Quin etiam nonnulli ea sola de causa ad carmina Ovidiana accesserunt, ut quam de rerum quarundam, quae tum evenerunt, temporibus sententiam sibi confinxerant confirmarent. Unde quanta immineant Ovidio pericula facile intellegitur. Unus tamen vir doctus, Massonus, excipiendus est, qui hanc provinciam et primus maioribus cum copiis ingressus est, et optime administravit. Cuius merito efflectum est, ut fundamenta quaestionis in universum iam satis stabilita sint. Sed et eius et ceterorum rationes singulis locis examinandae erunt.

Primum autem in unum componamus eos locos, in quibus cardo quaestionis versatur, ut natura et indole eorum accurate perspecta, cognoscamus, quo modo et cum fructu et sine periculo in usum vocari possint. Scilicet de eis tantum agitur, quibus temporis indicium fit numeris disertisque verbis expressum. Sunt autem hi:

---

[1]) Sunt autem hi fere: *Massonus:* „P. Ovidii Nasonis vita etc." et in Heinsiana et in Burmanniana editione typis expressa. — *H. Brandes:* Zur Zeitgesch. d. Kais. Augustus. Fleckeis. 115, p. 349 sqq. — *Meyer:* Die Chronologie der Ovidischen Tristien u. Briefe aus Pontus mit Beziehung auf das Jahr der Schlacht im Teutoburger Walde. Zeitschft. f. Gymn. 1878, p. 449 sqq. — *Graeber:* Quaestionum Ovidianarum pars prior. Elberfeld 1881. — *Schulz:* Quaestiones Ovidianae diss. Greifsw. 1883. — *Wölffel* in praefationibus singulis versionis germanicae fasiculis praemissis. *Leutsch* Ersch u. Gruber Sect. III. vol. 8 p. 48 ff. *Loers* in prolegomenis Tristium editioni, quae prodiit anno h. s. XXXIX praemissis.

Trist. IV., 6, 19 sq.:

Ut patria careo, bis frugibus area trita est,
Dissiluit nudo pressa bis uva pede.

Trist. IV., 7, 1 sq.:

Bis me sol adiit gelidae post frigora brumae,
Bisque suum tacto pisce peregit iter.

Trist. V., 10, 1 sq.:

Ut sumus in Ponto, ter frigore constitit Hister,
Facta est Euxini dura ter unda maris.

ex. P. I., 2, 27, sq.:

Hic me pugnantem cum frigore cumque sagittis
Cumque meo fato quarta fatigat hiems.

ex. P. I., 8, 27 sq.:

Ut careo vobis, Stygias detrusus in oras,
Quattuor autumnos Pleias orta facit.

ex. P. IV., 6, 5 sq.:

In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est:
Iam tempus lustri transit in alterius.

ex. P. IV., 10, 1 sq.:

Hic mihi Cimmerio bis tertia ducitur aestas
Litore pellitos inter agenda Getas.

ex. P. IV., 13, 39 sq.:

. . . ., sed me iam, Care, nivali
Sexta relegatum bruma sub axe videt.

Videmus semper annos numerari inde ab eo tempore, quo poëta, aut ex Italia profectus, aut Scythiam ingressus sit, quamquam duobus locis (Trist. IV., 7, 1 sq. et ex P. I., 8, 27 sq.) non statim perspicitur, utrum temporis punctum poëta significare voluerit. Ita igitur hi loci omnes comparati sunt, ut non possimus eis uti, nisi explorato antea et eo tempore, quo poëta Italiam reliquerit, et eo, quo Tomos pervenerit.

De quo indicium fit his locis:

Trist. IV., 8, 33 sq.:

Iamque decem lustris omni sine labe peractis,
Parte premor vitae deteriore meae:

et Trist. IV., 10, 95 sqq.:

Postque meos ortus Pisaea vinctus oliva
Abstulerat decies praemia victor equus,
Cum maris Euxini positos ad laeva Tomitas
Quaerere me laesi principis ira iubet.

Cum autem Ovidium anno 711 / 43 a Chr. natum esse constet, qua vitae aetate relegatus sit, ex his locis cognoscitur. Sed non certus annus, sed maius temporis spatium utroque loco[1]) indicatur, undecimum vitae lustrum, quod pertinet ab anno 761 / 8 usque ad annum 766 / 13. Accuratum igitur indicium, quod desideramus, non praebetur.

Sed quod hoc modo relinquitur temporis spatium, artissimis finibus circumscribi videtur eó, quod post M. Valerii Corvini Messallae oratoris celeberrimi mortem poëtam e patria pulsum esse facile cognoscitur. Quod, excepto Clintono, omnes satis iam confirmari sibi persuaserunt solis versibus, qui de eo leguntur in epistola. ex P. I., 7 ad Messallinum filium maiorem natu data v. 27 sqq:

Nec tuus est genitor nos inficiatus amicos,
Hortator studii causaque fax que mei:
Cui nos et lacrimas, supremum in funere munus,
Et dedimus medio scripta canenda foro.

Ac re vera videntur esse eius verba, qui ipse Corvini funeri interfuerit. Nam quod Clintonus (Fast. Hell. p. 273) proposuit, carmen funebre, quod commemoratur, fautoris morte nuntiata ab Ovidio Tomis Romam missum esse, eo rectissime Nipperdeius (Mus. Rhen. 19 p. 283) reiecit, quod intra paucos dies, qui inter mortem et funus intercedere solerent, neque posset mors Tomos nuntiari, neque carmen componi Romamque mitti. Ergo iam confectam quaestionem existimamus? Immo, possunt

[1]) Olympiadem Graecam ab Ovidio non discerni a lustro Romano, cum ex his duobus locis, quibus idem temporis spatium significat, tum inde apparet, quod ex P. IV., 6, 5 Olympiadem „quinquennem“ dicit. Eadem sententia deprehendi videtur Metamorphoseon loco quodam (XIV., 325), ubi „quinquennis Elide . . pugna“ commemoratur.

verba re vera ita explicari, ut funus Messallae ab Ovidio non visum esse concedatur. Primum enim non necessario coniungenda sunt verba „in funere“ cum dandi notione, sed solius lacrimarum vocis illustrandae causa potest esse additum „supremum in funere munus“; tum scripta illa „medio canenda foro“ neque re vera ibi recitata, neque in eum usum ab Ovidio composita esse oportet, ita ut haec totius sententiae interpretatio evadat: „Cui et lacrimas dedimus, quae velut munus quoddam supremum mortuis in funeribus tribui solent, et carmen composuimus in laudationis funebris modum conditum.“ Quam explicationem, quamvis sit artificiosa, tamen aspernari non liceret, nisi aliis rationibus demonstrari posset, re vera Messallam, antequum Ovidius relegarereretur, mortuum esse.

Primum enim eo tempore, cum Tristium liber quartus componeretur, eum iam non inter vivos fuisse, quarto carmine comprobatur. Quod, quamvis occultetur nomen, spectare ad alterum eius filiorum, sive Messallinnm, sive Cottam, omnes consentiunt. Neque quisquam huic sententiae non potest accedere comparatis versibus 1sqq.:

O qui, nominibus cum sis generosus avorum,
Exsuperas morum nobilitate genus:
Cuius inest animo patrii candoris imago,
Non careat numeris candor ut iste suis:
Cuius in ingenio est patriae facundia linguae,
Qua prior in Latio non fuit ulla foro:
e. q. s.

et versibus 27 sqq.:

Nam tuus est primis cultus mihi semper ab annis —
Hoc certe noli dissimulare — pater,
Ingeniumque meum — potes hoc meminisse — probabat
Plus etiam, quam me iudice dignus eram.

cum eis, quae scribuntur ad Messallinum ex P. I., 7, 27 sq.:

Nec tuus est genitor nos inficiatus amicos,
Hortator studii causaque faxque mei:

ex P. II., 2, 53 sq.:

Vivit enim in vobis facundi lingua parentis,
Et res heredem repperit illa suum.

99 sq.:

Hoc pater ille tuus, primo mihi cultus ab aevo,
Si quid habet sensus umbra diserta, petit.

et ad Cottam ex P. II., 3. 75 sqq.:

Me tuus ille pater, Latiae facundia linguae,
Quae non inferior nobilitate fuit,
Primus, ut auderem committere carmina famae,
Impulit. Ingenii dux fuit ille mei.

ex P. III., 5, 7 sq.:

Legimus, o iuvenis, patrii non degener oris,
Dicta tibi pleno verba diserta foro.

De eo autem, uter Tristium illo carmine petatur, miror, quod viri docti in diversas sententias abierunt. Nam quod Lorentzius[1]) (p. 11) attulit, eo nos impediri, quominus de Messallino fratre maiore natu cogitemus, quod ad hunc prima omnium missa sit epistola ex P. I., 7, ideo nil valet, quod et quo tempore haec ipsa epistola scripta sit, dubium est (ut infra exponetur), et in diverso carminum genere ex argumentorum natura temporis iudicium desumere non licet. Rectissime autem Graeberus (p. XX.) exposuit, neque eam rationem, qua poëta adeundi quasi audaciam excusaret (v. 1—34), neque eam, qua maioris sceleris suspicionem a se removere studeret (v. 36 sqq.), adversus Cottam adhiberi potuisse, qui et a prima vitae aetate Ovidio coniunctus fuisset (ex P. III., 3, 69 sqq.), et haud inexcusabilem esse eius culpam ipse mox intellexisset (ibid. v. 61 sqq.) Accedit, quod versibus 51 sqq.:

Mitius exilium pauloque propinquius opto,
Quique sit a saevo longius hoste, locum.
Tantaque in Augusto clementia, siquis ab illo
Hoc peteret pro me, forsitan ille daret.

---

[1]) Lorentz: De amicorum in Ovidii Tristibus personis: diss. Lipsiae. 1881.

poëta haud obscure ab amico petit, ut eam, qua valeat apud imperatorem, auctoritatem, ad poenam suam levandam adhibeat. Quod Ovidius nunquam Cottam rogavit, iuvenem etiamtum (cf. ex P. III., 5, 7) et in rebus publicis nondum versatum. Messallinum igitur hoc carmine implorari, pro certo affirmaverim. Quo comprobato concidit etiam Borghesii (p. 239)[1]) argumentatio, qui e verbis v. 29:

Ingeniumque meum — **potes hoc meminisse,** probabat . .

— — —

conclusit, Messallam patrem adulta etiam Cottae filii aetate inter vivos fuisse.

Sed ut non illud ita his verbis id efficitur, ut Messallam, cum quartus Tristium liber componeretur, iam defunctum fuisse. comprobetur. Quod apertissime iam indicatur, solis temporibus imperfectis: „probabat", „digus eram", „referebat", „nobilitatis erat" adhibitis. Neque potuit de fautoris etiamtum viventis eloquentia dicere:

„Qua prior in Latio non **fuit** ulla foro."

Si igitur omnino Messalla exsulante iam Ovidio, primo exilii tempore occidit, quippe cuius anno secundo hoc carmen conditum sit, ut postea videbimus. Neque verisimile est, si Messallinus nuperrime demum patre privatus esset, id ab Ovidio plane potuisse omitti: quamquam ea de causa factum esse aliquis coniciat, ne nimis aperte amici persona significaretur.

Accedit alia ratio, qua Messallam mortuum esse ante Ovidii relegationem persuademur. Nulla enim epistola Tomis missa poëta eius auxilium invocavit, qui et amicissimus ei erat, et apud Augustum summa auctoritate florebat. Neque concedo, hoc ei propter recentem imperatoris iram non licuisse. Nam etiamsi constaret, omnes epistolas, quae amicorum nomina prae se ferunt, posterioribus demum exilii annis missas esse, potuit eum occulto nomine adire, ut adiit carmine, de quo modo egimus,

---

[1]) Giornale Arcadico 1822. tom. 16, p. 235 sqq. Oeuvres numism. I., p. 408 ff.

Messallinum, aliisque alios amicos nobili loco natos, quorum nonnullos, quamvis nomina celentur, accuratissime agnoscimus.[1])

Sed obiciat aliquis, Messallam, quem duobus ultimis vitae annis sensu caruisse, Hieronymus tradat[2]), potuisse quidem illo tempore inter vivos esse, sed non idoneum, a quo poëta auxilium sibi latum iri speraret. Ergo re vera ipso exilii tempore mortuus est? Quod silentio praetermisisse nunquam mihi persuadebo eum poëtam, qui Celsi (ex P. II., 10), Fabii Maximi (ex P. IV., 6), Gallionis uxoris (ex P. IV., 11) obitus, ubi primum comperit, carminibus deflere non neglexit.

Denique ne id quidem licet suspicemur, Messallam supremo vitae tempore ab Ovidio alienatum esse, ipsa fortasse culpa illa, propter quam ille relegatus est, offensum, ita ut is neque implorare eum ausus sit, neque mortem eius deflere opus esse ratus. Nam id si accidisset, qua fronte Messallinum adiret, quem sola fere patris memoria sibi conciliare poterat? Videmus, solis Ovidii testimoniis effici, poëta nondum e patria pulso Messallam defunctum esse.

Quo autem anno decesserit, constare videtur Hieronymo teste, qui ad annum 765 / 12 haec in chronico Eusebiano adnotavit (Schoene II. p. 147): „Messalla Corvinus orator ante biennium quam moreretur, ita memoriam ac sensum amisit, ut vix pauca verba coniungeret, et ad extremum, ulcere sibi circa sacram spinam nato, inedia se confecit, anno aetatis LXXII." Neque spernendus assensor accedere videtur Frontinus (de aquarum ductu II., 102), cum insequente anno Ateium Capitonem in locum Messallae praefectum aquarum nominatum esse tradat. Nam ipsum Corvinum Messallam oratorem, non filium eius natu maiorem dictum esse, Borghesius, qui primus hunc locum adhibuit, satis probavit (l. c. cf. Nipperdey l. c. p. 286). Sed his adversatur Taciti locus dial. 17: „Nam Corvinus in medium usque Augusti principatum, Asinius paene ad extremum dura-

[1]) cf. Lorentz, p. 16.— p. 11.
[2]) cf. locum infra adscriptum.

vit, . . ." Ac de fide quidem et diligentia Taciti dubitare, nefas est, praesertim, cum ea, quae de Pollionis obitu dicit, tam egregie ab Hieronymo aliisque auctoribus fide dignioribus confirmentur, ut de Corvini Pollionisque aetatibus aut cum Borghesio[1]) (p. 245) apud Tacitum a librario, aut cum Scaligero ab Hieronymo commutatis, cogitari non possit (cfr. Nipperdey p. 281). — Sed Nipperdeius locum Taciti etiam peius quam Borghesius corruptum esse ratus, sic emendat (p. 292). „Nam Corvinus in extremum usque Augusti principatum, Asinius paene ad extremum duravit . . ." Quae si legimus, non possumus non mirari, quod vir tantopere in Taciti scriptis versatus eo se deduci passus sit rationibus a critica arte alienis. Eius enim iudicio videtur Tacitus hoc loco chronographi diligentiam affectare, ita ut plane non intellegamus, cur non potius ipsos annorum numeros adscibere, quam tantam verborum molem extruere maluerit ad sententiam tam simplicem exprimendam. Quis in hac enuntiati forma eloquentissimum dialogi auctorem agnoscat? Probandum sibi proposuit, iniuria Corvinum Asiniumque veterum oratorum nomine insigniri. Si igitur mortes eorum tam paucis annis inter se et ab Augusti decessu disiunctae fuissent, ut Nipperdeius et hac loci scriptura permitti, et aliis rationibus probari censet, nonne Tacitus et verius et ad propositum aptius dixisset, utrumque „paene ad extremum Augusti principatum" duravisse? Praeterea coniectura illa ars quoque et nervus sententiae corrumpitur. Nam rationi infirmiori firmiorem scriptor adnectit, ut eo fortius eludat veterum illam oratorum appellationem, quae, quam vana sit, Messallae iam exemplo, sed multo etiam magis Pollionis ostendi docet. Denique non contigit Nipperdeio satis explicare, qua de causa illatus esset, medius ille principatus, qui nunc legitur.

Audito igitur Taciti testimonio, quale ab ipso sine dubio latum est, quaeritur, qua ratione eo utamur. Jam autem rursus

---

[1]) Borghesius verbis „in medium usque Augusti principatum" annum 758 / 5 p. Chr. indicari posse parum probabiliter posuit.

adest Clintonus (Fast. Hell. p. 273), difficultatem interpretandi artificio tollere paratus. Non enim de vita, sed de oratoris negotiis sustentis durandi verbum intellegendum esse docet, quibus Corvinus, ut valetudine infirmus, aetate provectiore abstinuerit. Quod tamen, quam alienum sit ab Apri apud Tacitum proposito, qui quam proxime veterum oratorem aetatem ad ipsius tempora admovere studet, amplius exponere opus non est Conciliari igitur non potest Taciti indicium cum eis, quae Hieronymus tradit. Nam sive ab hoc Corvini mortem anno 12, sive anno 14 attribui statuimus, (quod ex ipsius verbis non plane apparet.) neutrum temporis punctum medii principatus nomine posse significari, certissimum est, propterque eam rationem, qua comparantur Corvini Pollionisque aetates, ante annum 758/5, quo Pollio mortuus est[1]), Corvinum Taciti quidem sententia decessisse statuendum est.

Sin autem iudicare opus est, utri testi maior fides habenda sit, quis non haud dubitanter praetulerit eum, qui et fontibus optimis uti potuerit, et ad ea tempora, de quibus agitur, tribus saeculis propius accedat, quam alter, cuius neglegentia non semel litterarum memoria turbata sit? Neque eis, quae Frontinus tradidit, chronographo fides additur. Quis enim praefecturam aquarum non potuisse per longius breviusve tempus vacare demonstraturus est, praesertim cum Corvino in hoc munere duos adiutores senatorii ordinis datos esse, idem Frontinus testetur?

Attamen Hieronymus, virorum doctorum sollertia una cum erroribus eius errorum quoque causis patefactis, nonnunquam haud inutilis visus est ad verum indagandum. Quod hic quoque nonnulli fieri posse confisi, id ratiocinationis fundamentum sibi sumpserunt, quod septuaginta duos annos a Corvino completos esse Hieronymus dicit. Sed primum considerandum est, quantula sit in talibus rebus codicum auctoritas, in quibus lineola detrita nos possit eludere! Tum Hieronymus ne in an-

---

[1]) cf. Eusebius ed. Schoene p. 145.

norum quidem numeris, quibus scriptorum aetates circumscribit, sincerus testis est.[1]) Licet igitur Massono (ad ann. p. Chr. IV, — V) vel Borghesio, vel Hermanno,[2]) vel Nipperdeio contigerit annum natalem, ne eum quidem, ut verisimillimum est, recte a Hieronymo indicatum, eruere, inde calculis obitus tempus elicere non permittitur. Quis enim diiudicet, utrum septuaginta duos illos annos Hieronymi computationi, an bono alicui testi debeamus? Quamobrem non adeo cum Nipperdeio (p. 285) reprehenderim Reifferscheidium, qui numeri illius rationem non habuit (cf. Suet. rell. praef. p. VIII). Quaestionem igitur, quae est de Messallae anno natali, multis difficultatibus impeditam, ut inutilem ad propositum nostrum, omittere possumus.[3])

Sed quid de mortis anno statuamus? Nam in Taciti testimonio acquièscere non licet, quod eo adeo non certus annus definitur, ut quodcunque temporis punctum a finibus principatus Augusti non nimis prope abest, dictum esse possit. Accedit, quod non perspicitur, utrum a primo Octaviani consulatu, an a toto Romanorum imperio subiecto Tacitus annos computari velit.

Hic succurrit locus Vellei, quem miror post Massonum (ad ann. IV. p. Chr. VI.) neminem respexisse. Vide quae vir

---

1) Velut Lucili vitae annos sine dubio non recte indicavit, cf. Fleckeis 107, 72. 365.

2) C. F. Herrmann: De scriptoribus, illustribus quorum tempora Hieronymus ad Eusebii Chronicon adnotavit p. 14. Götting. 1848.

3) Quam rem, qui retractandam sibi sumpserit, videbit, qua ratione haec argumenta inter se connectat.

a) Non natum esse Messallam anno demum 695, ut Hieronymus tradit, eo apparet, quod et post pugnam Philippensem exercitui praefectus est (Vellei II, 71.), et iam antea eloquentia floruit (Cic. ad Brutum I, 15, 1.)

b) Quod una cum Horatio et M. Cicerone minore adolescentulis Athenis fuit, aequalem fere illorum eum fuisse, suadet, ut statuamus.

c) Quod Tiberius, anno 712 natus, adolescens illo iam sene eloquentiae exemplo usus esse traditur (Suet. Tib. c. 70.), annos natales eorum triginta minimum annis distare, videtur indicare.

doctissimus disputat: „Ad idem circiter tempus nos Velleius etiam deducit, cum de Messallini sub initium belli Pannonici gestis, aestate nimirum anni u. c. 759 agens haec habet: „„Felix eventu, forte cônatu, prima aestate belli Messallini opus mandandum est memoriae: qui vir, animo etiam, quam gente nobilior, dignissimus, qui et patrem Corvinum habuisset, et cognomen suum Cottae fratri relinqueret, e. q. s. . . .”” quibus videtur historicus significare, Messallam Corvinum iam decessisse, cum Messallinus, eius filius, eo anno gereret, quae ibidem narrantur.” Atque equidem non video, qua ratione hoc Massoni iudicium refutemus, nisi forte intercedit Vellei aut summa neglegentia, aut nescio quae dicendi proprietas, adhuc, quantum sciam, nondum observata.

Sed ne nunc quidem temporis indicium satis accuratum nancti sumus, cum quousque recedendum sit, nondum appareat. Urget nos Tacitus, ut longius longiusque removeamus mortis tempus ab Augusti decessu. Neque tamen Corvinum iam dudum defunctum fuisse, cum Messallinus filius in bello Pannonico strenue se gereret, Suetonii loco quodam comprobari videtur, quo Octaviano a senatu populoque patris patriae nomen datum esse narrat, Valerio Messalla in senatu verba faciente (Octav. c. 58.). Quod factum esse anno 752/1 a Chr. Eckhelius (Doctrina nummorum vol. VI, p. 112 sqq.) luculenter demonstravit. Quamquam autem sunt, qui non oratorem celeberrimum, sed alium ex eodem gente ortum, quorum non pauci tum magistratibus functi sunt, oratiunculam a Suetonio traditam habuisse statuant, quod aliqua ratione commendari videtur, eo quod Ovidius in copiosissima eiusdem rei narratione (Fast. II., 119 sqq.) amici potentissimi mentionem facit nullam, non tamen verisimile est, Suetonium solo Valeri Messallae nomine alium significare voluisse, atque eum, qui e tota hac familia Augusti aetate maxime clarus esset. Si igitur extremum viri celeberrimi factum a Suetonio relatum, ipsumque sensu ante biennium amisso anno fere 754 vel 755 mortem obiisse statuimus, potuit Tacitus recte dicere „in medium usque Augusti principatum” eum duravisse dicendi genere

scilicet non nimis stricto usus. Quam sententiam ut aspernemur, Lachmanni dubitatione (kl. Schrft. p. 150) effici vix poterit, cum de Tibullianorum carminum collectione, a qua is argumentum petit, certum iudicium fieri nequeat. Quamvis autem, quae exposuimus, pro certo affirmare non liceat, id saltem comprobatum est, Messallae mortem non pertinere ad id tempus, quo Ovidius undecimum vitae lustrum egit. Ad annum igitur relegationis eruendum nullum usum habet id, quod post amici mortem poëtam e patria decessisse constat.

Denique clades Voriana, quae in secundo sequentibusque Tristum libris saepius commemoratur, ad annum relegationis eruendum utilis videri potest. Qua de re cum iudicium fieri nequeat, nisi singulis locis Ovidianis accuratius tractatis, quando ad eos ipsos disputatio nostra pervenerit, melius agetur.

Destituti igitur et disertis temporis indiciis et praesidiis e rerum memoria petendis, num ratiocinando aliquid profecturi simus, experiamur. Ea autem sola relicta est via, ut unius ex eis carminibus, quae quanto post poëtae fugam composita sint constat, tempore alia ratione indagata, calculis relegationis annum eruamus.

Ac Meyerus (p. 459) quidem in usum vocavit ultimum eorum locorum, quos supra perscripsimus ex P. IV, 13, 39 sq.:

. . . . sed me iam, Care, nivali
Sexta relegatum bruma sub axe videt.

Quem Massonus (ad ann. IX, III, 2.) quoque attulit, sed ita, ut non eo solo uteretur. Epistolam autem ex P. IV, 19 post Augusti mortem ortam esse, efficitur versibus 19 sqq., quibus agitur de carmine aliquo ab Ovidio Getica lingua in honorem imperatoris inter deos recepti composito. Attamen neque ullum invenitur indicium, quo comprobetur, primam post Augusti mortem hiemem etiamtum adesse, neque habemus, quo diiudicemus, utrum „bruma“ hoc loco significet totam hiemem, an diem solstitii hiemalis. Ambiguam enim esse vocis significationem

notum est (cf. Fast I, 163. Ibis 37. Trist, V, 10, 8. Horat. c. IV, 7, 12) Totus igitur locus, ad quem postea redibimus, in hac quaestionis parte omittendus est.

Omne autem auxilium, quo egemus is fert, quem alterum Massonus adhibuit. ex P IV, 6. 5 sq.:

In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est,
Iam tempus lustri transit in alterius.

Nam et quo tempore carmen scriptum sit, rationibus erui potest, et quot annos poëta tum Tomis habitaverit, apertissime indicatur: Primum post Augusti Fabiique Maximi mortem hanc epistolam ad Brutum missam esse evincitur versibus 9 sqq.:

Certus eras pro me, Fabiae lux, Maxime, gentis,
Numen ad Augustum supplice voce loqui.
Occidis ante preces, causamque ego, Maxime, mortis —
Nec fueram tanti — me reor esse tuae!
Iam timeo nostram cuiquam mandare salutem:
Ipsum morte tua concidit auxilium!
Coeperat Augustus deceptae ignoscere culpae:
Spem nostram terras deseruitque simul.
Quale tamen potui, de caelite, Brute, recenti
Vestra procul positus carmen in ora dedi.
e. q. s.

Brandesii autem sententiam (p. 352) satis miram, qua Fabium quidem illo tempore iam defunctum, Augustum etiam inter vivos fuisse statuit, recte reiecit Schulzius[1]). Nam neque intellegitur, quomodo verba: „spem nostram terras deseruitque simul“ ad Fabium referri possint, tribus versibus ante secunda persona inductum, praesertim cum intercedat Augusti mentio tertia persona instituta, neque verba „de caelite recenti“ ullum sensum habent, nisi de Augusto defuncto et deorum numero adscripto accipiantur. — Brandesio autem ex aliqua parte assensus, Schraderus[2]) alterum errorem adiecit. Nam

1) Quaestiones Ovidianae, p. 38.
2) Fleckeis. Jahrb. 115, p. 846.

cum illo ad id tempus delatus, quod intercessit inter Fabii et Augusti obitus, vere anni 767/14 epistolam scriptam esse contendit. At Taciti (Ann. I, 5) testimonio certiores fimus, Fabium Maximum una cum Augusto paucis ante mensibus, quam hic moreretur, Planasiam ad Agrippam visendum vectum, inde reversum, patefacta re per Marciam uxorem Liviae, tum demum mortem obiisse, ita ut eum non multo ante ipsum imperatorem decessisse appareat. Qui igtur potuit epistola IV, 6 ad ver eius anni referri, cuius mense Augusto[1]) imperator mortuus est, nisi duplici errore admisso?

Tempus autem carminis ita tantum definiri potest, ut quaeramus, quanto spatio post Augusti mortem, quam obiit a. d. XIX. Cal. Sept. anno 14, praeterlapso, conditum videatur.

Quod Massoni (ad ann. 14, II) argumento, qui e verbis „de caelite ... **recenti**" conclusit, Augustum nuperrime demum divinis honoribus celebrari coeptum esse, non assequimur, quo id tantum efficitur, carmen illud, cuius mentio inseritur, de caelite recenti conditum, statim imperatore defuncto confectum esse. — Neque tamen auxilio egemus, si accurate animadvertimus, quod studium, quae spes, quae denique poëtae mens in epistola IV, 6 agnoscatur. Etenim exorsus Ovidius, ut solet, a tristi condicione sua depingenda, eo transit, ut queratur, quod et fautor candidissimus, et imperator precibus illius mitissimus sibi ereptus sit. Quibus rebus recenti etiam dolore eum excruciari apertum est (v. 11—14). Nova autem sententiarum series incipit a verbis: „Quale tamen potui . . . . . . e. q. s." Quae cum proxime antecedentibus hac ratione cohaerent: „Quamquam Fabio Augustoque mortuis, omnis fere redeundi spes erepta videtur tamen, quae sola relinquitur, fore, ut patris laudibus successoris animum mihi conciliarem, eam quam cupidissime arripui." Porro e sequentibus duo apparent, et compositum iam esse carmen illud, quo Augustum celebravit, (v. 17—20), et spem veniae hac via a Tiberio impetrandae

---

[1]) cf. Suet. Oct., c. 100.

nondum evanuisse. Quo efficitur carmen recentissimo demum tempore perfectum epistolamque IV, 6 missam esse non multo post Augustum imperatorem defunctum. Quamquam aliquod tempus intercessisse necesse est, quo et mors imperatoris Tomos nuntiaretur, et carmen de eo componeretur. Hiemi igitur annorum 14/15, vel veri anni 768/15 attribuenda est. Ultra hoc tempus, ut procedamus, ne levissima quidem causa invenitur.

Iam cognito, ut fieri potest, epistolae tempore, in unum eius locum oculos animumque convertamus, qui solus idoneus est, unde tota temporum quaestio suspendatur. Versus dico 5 sq. supra adscriptos, quos recte Massonus sic interpretatus est (ad. ann. IX, 3): „ . . clare indicant (sct. poëtae verba) tum alterum lustrum, seu sextum exilii annum modo incepisse, cum Ovidius ea scriberet . . ." et postea (ad ann. XIV, 3): „Quibus ostendimus significari, tum alterum lustrum, seu sextum exilii Ovidiani annum modo incohatum fuisse, cum Noster ea scriberet."[1]) Sed idem non animadvertit, poëtam profiteri, non solum per quinque plenos annos se iam exulem esse, sed etiam in ipsa Scythia domicilium habere.

Quod cum Loersium quoque (p. 5) fugerit, magnopere a recta via aberravit. Inde enim proficiscitur, ut epistolam IV, 6 aliquot mensibus post obitum Augusti et Fabii Maximi, hieme igitur annorum 14/15 scriptam statuat, Ovidium autem mense Decembri anni 762/9 profectum, vere anni 763/10 Tomos pervenisse contendat (p. 9). Sed verba apertissime indicant, praesertim tempore illo praesenti „transit" posito, idem anni tempus significari, quo poëta Tomis domicilium posuerit. Necesse igitur erat Loersium aut epistolam IV, 6 veri demum anni 15/768 adscribere, aut ab Ovidio hiemali etiam tempore Tomos conspectos esse concedere Error autem eius ortus est e verborum interpretatione parum accurata, quam his expressit (p. 5). „Iam quinque totos annos **in exilio** sese transegisse scribit."

Vi igitur verborum recte perspecta eo deducimur, ut Ovidium aut hieme annorum 9/10 aut vere anni 10 Scythiam in-

---

[1]) Falso Brandesius, p. 350 sq. verba de **quinta** exilii hiëme intellegit.

gressum esse statuamus. Quamquam non adeo locum illum premere licet, ut unum eundemque anni diem et adveniendi et huius carminis componendi fuisse nobis persuadeamus. Sed etiamsi non ad amussim verba interpretemur, tota computatio non perturbatur. Nam neque priore hiemis parte, neque post insequens ver poëtam advenisse, altera ratiocinandi via assequimur, quam nunc ingressuri sumus. Quae si eodem, quo modo adhibita, nos perduxerit, sententiam nostram satis stabilitam existimabimus.

Italia relicta Ovidium brumali tempore, mense Decembri per mare Hadriaticum vectum esse, apertissime indicatur ex P. II, 7, 57 sq:

Fit fuga temporibus levior: proiectus in aequor
Arcturum subii Pleiadumque minas.

et Trist. I, 11, 3 sq.:

Aut ham (st. litteram) me, gelido tremerem cum mense Decembri,
Scribentem mediis Hadria vidit aquis . . . . .

Quamquam igitur eorum curas, qui e sideribus quibusdam in carminibus Trist. I, 3 et 4 commemoratis paene ipsum profectionis diem definire susceperunt, et vanas et supervacaneas esse, Massonus ostendit (cf. ad ann. IX, 1—2), locus ex ultimo primi Tristium libri carmine desumptus is est, ut, si possit erui, quantum temporis spatium poëta itinere consumpserit, iam patefiat, qua anni parte Pontum intraverit.

Hic autem succurrit libri primi carmen decimum, quo maxima itineris pars satis accurate describitur, quamquam non omnia tam plana sunt, ut primo obtutu facile intellegantur. Atque interpretes quidem Burmanniani rei plus tenebrarum obduxerunt, quam lucis asperserunt. Massonus de ea (ad. ann. IX, 2), ut semper, sano iudicio neque tamen satis copiose egit. Describit poëta alteram partem itineris navalis a Cenchreis Corinthiacis percursam. v. 15 sqq.:

Quae (sct. navis) simul Aeoliae mare me deduxit in Helles
Et longum tenui limite fecit iter,
Fleximus in laevum cursus et ab Actoris urbe
Venimus ad portus, Imbria terra, tuos.

Inde, levi vento Zerynthia litora nacta,
 Thrëiciam tetigit fessa carina Samon.
Saltus ab hac terra brevis est Tempyra petenti:
 Hac dominum tenus est illa secuta suum.

Eadem autem nave poëtam a Cenchreis usque ad Samothraciam tantum usum esse, quod versibus 21 sq. non satis aperte significatur, eo apparet, quod postea de diversis itineribus, quae duae naves percursurae sint, his agitur v. 47 sq.:

Altera namque parat Symplegadas ire per artas,
 Scindere Bistonias altera puppis aquas.

Nempe altera est ea navis, quam iam supra (v. 24 sqq.), relicto Hellesponto, Propontidem intravisse dixerat, altera ea, qua brevem illum saltum, qui est inter Samothraciam et Tempyra, perfecit. Multo autem plus difficultatis habent, quae de Hellesponto proferuntur. Attamen non possumus aliter ea interpretari, atque ut Ovidium Hellespontum iam ingressum partemque tenuis limitis pervectum, reflexo itinere, in mare Aegaeum reversum, Imbrum insulam appulisse statuamus. Nam quod a Burmanno (nota ad. v. 16) affertur, verbis „mare Helles" eam partem maris Aegaei appellari posse, quae est Hellesponto proxima, neque ullo testimonio confirmatur, neque, si constaret, hoc loco poni posset propter v. 16.

— — — —
 Et longum tenui limite fecit iter.

quo si non Hellespontum sed maris Aegaei angustias, quibus Cyclades et Sporades, quae dicuntur, insulae distinentur, poëta significare voluisset, mirae sane obscuritatis opprobrio obnoxius esset. Praeterea nonne aperte dicit, se postquam, non antequam in mare Helles pervenisset, tenui limite iter fecisse? Quamquam igitur causa ignoratur, cur hoc modo iter instituerit, tamen, quomodo verba intellegenda sint, incertum esse nequit, nisi quod, quae „Actoris urbs" sit, non patet[1]). A Samothracia

[1]) Neque, quod antea vulgatum erat, „Hectoris urbe" dubitatione caret, cum et mira esset haec Ilii novi appellatio, et parum verisimile,

autem poëta in Thraciae litus transvectus, reliquam iter pedibus perpetravit: v. 23:

Nam mihi Bistonios placuit pede carpere campos...

— — — —

Videamus, quantum temporis ad totum iter perficiendum opus fuerit. Quam celeriter autem Romani navibus per mare cucurrerint, Brandesius (l. c. p. 353) ostendere suscepit Livi narratione, quae est in libri XXVIII capite 18 extr. in usum vocata, ubi agitur de Scipione e Numidia in Hispaniam redeunte. Unde calculis assecutus est, non plus quam viginti tres fere dies opus fuisse ad iter Brundisio Tomos faciendum. Sed primum ita ratiocinatus est, quasi Ovidius totum iter nave conficisset; tum neque dicit Livius, quem Africae locum Scipio Carthagine nova relicta petierit, neque testimonio eius nimis confidere licet in eis rebus, quas exornandae narrationis causa de suo addere potuit, antiquiore auctore non usus. — Quod autem Brandesii ratione non conficitur, id diligentissimis curis Stephani[1]) et Friedlaenderi[2]) tam plene praestitum est, ut nulla dubitatio relinquatur: Ex omnibus autem exemplis, quae Stephanus contulit, apparet, horae tempore plus quam quina milia passuum, vel singula milliaria geographica navibus antiquos permensos esse. Ergo minus quam decem diebus plus quam mille milia passuum decurrebantur. Cum igitur intersint inter Brundisium et Corinthum quadringenta fere milia passuum vel octoginta milliaria geographica, inter Corinthum et Tempyra quingenta milia passuum, vel centum milliaria geographica, etiamsi bis Hellespontum percursum esse statuamus, quantulo tempore iter navale perfici potuerit, intellegitur. —

---

poëtam dixisse, se „ab" ea urbe Imbrum venisse, cuius regionem tantum e mari prospicere poterat. Ophrynium autem oppidum cum Merkelio (edit. p. 73) ut intellegeremus, nimia doctrina opus esset (cf. Strabo XIII, c. 29).

[1]) „Das Verkehrsleben im Alterthum": Raumers histor. Taschenbuch 1868, S. 49, Anm. 2 und S. 51, Anm.

[2]) Sittengeschichte Roms II p. 17 sqq.

Adiciendum est iter pedestre, quo Ovidius Tempyris Tomos pervenit. Cui quam breve tempus impendere opus fuerit et eorundem virorum doctorum rationes docent (Stephan l. c. p. 51, Anm., Friedlaender II, p. 19). et ipse poëta optimus testis est loco illo, quem, quam non apte Brandesius (p. 354) de toto, quo Romà Tomas perveniretur, itinere, intellegeret, Schulzius (p. 21, Anm.) ostendit. His enim poëta elegos suos alloquitur. ex Porto IV, 5, 5 sqq.:

Cum gelidam Thracen et opertum nubibus Haemon
Et maris Ionii transieretis aquas,
Luce minus decima dominam venietis ad urbem,
Ut festinatum non faciatis iter.

Tomi autem a Tempyris ne tantum quidem absunt, quantum Roma a Brundisio. Iam non opus erit certum dierum numerum coniectura ponere: id luce clarius est, ne unius quidem mensis tempus a poëta in itinere consumptum esse, si quidem nusquam diutius moratus est. —

Quod utrum factum videatur, necne, inquirendum est. Ac primum quidem omnino verisimile non est, licuisse in exilium proficiscenti sua sponte cursum interrumpere, tum ipsum iter, quod persecutus est, ita comparatum videtur, ut quam citissime in locum exilii perveniret. Nam Hadriatico Ionioque mari traiecto non Peloponnesum circumvectus, sed sinum Corinthiacum ingressus, Isthmoque pedibus superato, in mare Aegaeum pervenit[1]. Neque minus postea, spreto itinere navali, quo Chersonesus longiore paulo circuitu circumeunda erat, per mediam Thraciam viam ut molestiorem periculosioremque, ita breviorem fecit. Quamquam in hac parte non omnia perspicua esse concedendum est. Eis autem, quae dicuntur de longis malis (Tr. I, 6, 32) et longis erroribus (Tr. IV, 10, 109) Graeberus (p. IV) nimium ponderis tribuit. Nam similiter poëta casus suos in maius extollit illo loco, quo „freta sideribus totis distantia" se

---

[1]) Eadem via Avilium Flaccum Naxum in exilium deportatum esse teste Philone (in Flacc. § 19) Friedlaenderus monuit (l. c., p. 22).

permensum esse profert. — Quamobrem de itinere ullo loco diutius interrupto omnino cogitari non potest, nisi aliunde accedant rationes certissimae, quibus cursum non uno tenore perfectum esse comprobetur.

Quas Loersius, Wölffelius, Graeberus, Schulzius inde desumendas putaverunt, quod poëta in ipso itinere epistolas accepisse videretur. Iam igitur, quid illorum valeant argumenta perquiramus.

Ac Loersius quidem (p. 8.) solo utitur libri primi carmine sexto, quo laudatur studium ab uxore in rem familiarem ab inimico aliquo defendendam collatum. Et re vera hoc argumentum, quod Graeberus (p. IV.) quoque et Schulzius (p. 4.) attulerunt, multam speciem habet. Ovidius enim, postquam inimicum cum ferocissimis beluis comparavit, sic pergit v. 13 sqq.

Sic mea nescio quis, rebus male fidus acerbis,
In bona venturus, si paterere, fuit.
Hunc tua per fortes virtus summovit amicos,
. . . e. q. s.

Quae Loersius intellegenda censet de lite aliqua apud iudices de poëtae bonis habita. Neque perfici poëtaeque iam profecto nuntiari potuisse talem rem, nisi post aliquantum tempus, recte ponit. Sed primum, si omnino ita res se habuit, potuit causa intra id tempus peragi, quod intercessit inter relegationis edictum ab imperatore editum diemque patriae relinquendae constitutum.[1]) Tum verisimilius est, uxoris illam laudem non ad causam iudicialem obtentam, sed ad poenae severitatem imminutam spectare. Videtur inimicus ille, in quem saepius Ovidius invectus est, id egisse, ut non solum relegaretur poëta, sed etiam civitate et re familiari privaretur. Quod periculum uxor et suis precibus, et nobilium amicorum auxilio avertit.

---

[1]) Tempus aliquod poëtae concessum esse duobus locis evincitur. Etenim e versibus ex P. II, 3, 83 sqq. comperimus, nuntium poenae non Romae, sed in insula Ilva a poëta acceptum esse: unde eum in urbem reversum usque ad certum aliquem diem ab imperatore constitutum commoratum esse, cognoscitur e loco Trist. I, 3, 35 sq. et 50 sq.

Neque magis quam hac epistola, litteras in itinere acceptas esse demonstratur eis, quae Ovidius Trist. I, 7, 11 sqq. dicit de Metamorphoseon libris se invito editis. Nam cum neque in carmine I, 1, 117 sqq., neque postea c. III, 14, 21 sqq., ubi idem opus commendatur, de concrematis ipsius manu libris quidquam dicatur, illa quoque facetam magis operis imperfecti excusationem, quam veri enarrationem redolent. Neque is erat Ovidius, qui posteritatem opere tanto labore confecto fraudaret. Praeterea potuit carmen, antequam poëta proficisceretur, ipso non curante, in ora hominum pervenire. Quod autem poëta posteriore epistolae nonae parte amico alicui „processum" gratulatur (v. 39 sqq.), ne id quidem ullius momenti est. Nam processus ille amico etiam praesente poëta obvenire potuit, cum tamen hic non ea mente uteretur, ut gratulandi officio statim posset satisfacere. Quod hoc carmine etiamtum in itinere occupatus exsequi non oblitus est. Fidem autem, quam et praestitam laudat, et praestandam exoptat, ab illo servatam esse, non epistolis demum, ut Graeberus (p. V) censet, ei nuntiari oportuit. Porro qua ratione epistolas iam domo acceptas esse, Graeberus comprobari ducat versibus I, 7, 1 sq.:

Si quis habes nostris similes in imagine voltus,
Deme meis hederas brachia serta comis.

omnino non intellego. — Denique quae Trist. I, 3, 91 sq. proferuntur de uxore doloris vi oppressa:

Illa, dolore amens, tenebris **narratur** obortis,
Semanimis media procubuisse domo.

Ovidius aut comperit, simulatque domo egressus est, aut, ut Schulzius (p. 4) existimat, ad descriptionis ardorem augendum ipse sibi confinxit.

Nullum igitur exstat indicium, quo comprobetur, Ovidium, antequam Tomos pervenissit, de eis, quae interim Romae evenissent, epistolis certiorem factum esse. Neque ullo modo alia potest ratio indagari, qua usquam eum diutius commoratum esse nobis persuadeamus. Ac Corinthi quidem eum hiemis tempus degisse, ut Wölffelius (p. 1840) censet, solis verbis

Trist. I, 11, 5 „postquam cursu bimarem superavimus Isthmon" refellitur. Denique non omittendum est, quantum hic valeat solum eius poëtae silentium, qui ceterum in fatis condicionibusque suis describendis in his praecipue carminibus copiosissimus est.

Quae si consideramus, elucet, non plus temporis eum in itinere consumpsisse, quam opus fuisse non nimis celeriter proficiscenti supra exposuimus. Hiemali igitur etiam tempore, mense Januario vel ineunte mense Februario eum Tomos venisse verisimillimum est.

Sed ne haec quidem ratiocinatio adeo certa est, ut continua inde argumentorum series suspendatur. Nam quamquam praefracte negari potest, quod nonnulli censuerunt, poëtam Corinthi vel alio loco per longius tempus otio fructum esse, tamen fieri potuit, ut diversis locis paucorum dierum moram faceret. Quae singula temporum spatia fortasse tam parvula erant, ut non esset, cur eorum poëta mentionem primo Tristium libro iniceret, computata autem itineris tempus adeo porrigere poterant, ut vere demum ineunte Ovidius Tomos perveniret, praesertim si exeunte demum mense Decembri eum profectum esse ponamus.

Ad eandem igitur sententiam hac quoque via pervenimus, quam supra alio modo stabilire conati sumus. Nam cum exeunte hieme vel ineunte vere ab Ovidio locum exilii conspectum esse ostenderimus, eodem anni tempore quinque annis post epistola ex Ponto IV, 6 ad Brutum missam esse consequitur. Quae cum soli anno 15 adscribi possit, ad prius anni 763/10 tempus adventus poëtae necessario referendus est. — Cum autem mense Decembri Italiam reliquerit, neque plus quam opus fuit, temporis in itinere consumpserit, sub finem anni 9 / 762 eum patria pulsum esse certissimum est. Neque opus est pluribus refutare Graeberi, Leutschii, Wölffelii sententiam, qui eum antecedente iam anno profectum esse statuunt. Nam hac ratione aut itineris tempus ultra anni spatium porrigitur, aut epistola IV, 6 ad id tempus refertur, quod Augusti morti antecessit.

Adveniendi autem tempus, quod ad huc tam accurate, quam vellemus, definire non contigit, aliis quoque signis quibusdam

indicari videtur. Quamquam ea argumenta, quae hoc loco, antequam in temporum quaestionem altius penetravimus, plene exponi possunt, rem non plane conficiunt.

In primis enim tertii Tristium libri carminibus, quae primo habitationis Tomitanae tempore orta esse, postea demonstrandum erit, indicia quaedam deprehendimus, quibus hiemale tempus significari videtur. Velut in epistola III, 2, quam omnibus tempore antecedere infra perspicietur, legitur v. 7 sq.:

Plurima sed pelago terraque pericula passum
Ustus ab assiduo frigore Pontus habet.

Quae ab eo prolata videri, qui novus advena in mediam hiemis asperitatem incidisset, Brandesio quoque probatur (p. 350 et 354) neque intellego, qui potuerit Wölffelius (p. 1839) contendere, nullam in hoc carmine hiemis mentionem fieri. Sed Brandesius (p. 350) argumentum illud ipse pessum dedit cum versibus 19 sq.:

Nil nisi flere libet, nec nostro parcius imber
Lumine, de verna quam nive manat aqua.

significari proposuit, veris adventum prope imminere. Attamen e comparatione inter nivem sole digestam et lacrimas instituta de tempore carminis nil posse concludi, Meyerus (p. 453 sq.) recte monuit.

Sequente autem carmine poëta uxori nuntiat, se aegritudine affectum esse. Quam et aliis causis et caeli asperitate exortam esse exponit v. 7 sq.:

Nec caelum patior, nec aquis adsuevimus istis,
Terraque nescio quo non placet ipsa modo.

Hic quoque aegre non cogitamus de iniquiore anni tempore. Sed quominus nimium tribuamus his argumentis, praesertim ei, quod e carmine secundo petitur, eo impedimur, quod fortasse Pontus, epitheto quasi perpetuo adhibito, quovis anni tempore „ustus adsiduo frigore" appellari potuit. Certa autem ratio, qua quaestio conficiatur, desumitur e versibus ex P. I, 2, 27 sq.:

Hic me pugnantem cum frigore cumque sagittis
Cumque meo fato quarta fatigat hiems.

Quarta significatur hiems, cuius molestias poëta in ipsa Scythia perpessus sit. Quam esse hiemen annorum 12/13 postea rationibus, quae ab ea sententia, qua Ovidium brumali tempore Tomos venisse statuimus, non pendent, demonstrabitur. Unde efficitur, ipsam hiemem annorum 9/10, qua Italiam reliquit, ei in Scythia cognitam esse. Sed cum haec res postea demum ad liquidum perduci possit, ita in sequentibus ratiocinabimur, ut utrum poëta hiemis an veris tempore Tomos venerit, in medio relinquatur.

Iam autem iacto eo fundamento, quod initio disputationis desiderabatur, accedamus ad Tristium libros per singulos annos distribuendos. — Quod tamen fieri non potest, nisi praemissis paucis de externa librorum forma eaque ratione, qua editi esse videantur, reposito scilicet libro secundo, qui non est carminum corpus, sed unum continuumque opus ad epistolae formam redactum. Habet autem reliquorum librorum unus quisque suum prooemium, quo poëta vel ipsum libellum modo in publicum proditurum (I, 1), vel lectorem (IV, 1, V, 1) alloquitur, vel librum iam urbem ingressum loquentem inducit (III, 1). Neque minus apertum est, ultima carmina primi, tertii, quarti libri epilogi in modum adiecta esse. Quorum duobus, qua scribendi condicione usus sit, exponit (I, 11, III, 14), uno amplius de priore vita sua studiisque agit (IV, 10). Quin etiam libri quinti epistola decima quarta, quamquam tota in uxoris laude versatur, simili munere fungitur. Nam ita res tractatur, ut poëtam quasi finem imponere voluisse cognoscamus, ei carminum materiei, quam semel in singulis prioribus libris, quater in quinto tractaverat (I, 6, III, 3, IV, 3, V, 2, V, 5, V, 11, V, 14). Quamobrem totum carmen laetam quandam perfecti operis conscientiam spirat cf. v. 1 sq.:

Quanta tibi dederim nostris monimenta libellis,
O mihi me, coniunx, carior, ipsa vides.

Itaque non potest dubitari, quin Tristium carmina ab ipso poëta cura et diligentia in librorum formam redacta, singulique

libri Romam missi sint. Sed quaeritur, num eae epistolae, quibus poëta ad certas quasdam amicorum personas spectare videtur, ante libros editos singulae Romam missae sint. Sunt autem adiectis eis, quae ad uxorem, ad Perillam, ad inimicum pertinent, non multo plus, quam dimidia pars omnium carminum. Qua de re iudicium plane certum fieri vix poterit. Quamquam cum sint argumenta eorum satis communia, omnibusque multo magis lectorum voluptas, quam singulorum amicorum gratia respiciatur, eas ante librorum corpora perfecta prodiesse verisimile non est, ut Wölffelius (p. 1834) recte videtur mihi iudicasse. Quod autem intercedat inter has epistolas easque, quae Ponticarum epistolarum quattuor libris, continentur, discrimen, postea intellegemus.

Tanta igitur diligentia cum poëta singulos libros composuerit, consentaneum est, etiam intra librorum fines carminum distributionem arte rationeque ab eo esse institutam. Quin etiam id solum, quod Ponticas epistolas „sine ordine" iunctas esse Ovidius dicit (ex P. III, 9, 53), eo nos deducit, ut Tristium libros hac ex parte illis ab eo anteponi statuamus (cf. Meyer p. 452). Sed cum de solo temporum ordine, ut postea, demonstrabitur, locum epistolae ex P. III, 9 intellegere non liceat, temporum seriem in Tristium libris servatum esse inde quidem Meyerus nimis confidenter conclusit. Ac ne id quidem animadvertit, quod Graeberus (p. VI) et Schulzius (p. 2) monuerunt, prima singulorum librorum carmina, quippe quibus emittantur toti libri, non potuisse conscribi, nisi cetero carminum numero, qui ad, idem corpus pertinent, iam absoluto. — Possunt autem cogitari duae omnino carmina ordinandi rationes: aut enim temporum ordo, quoad fieri potuit, servatus est, aut artificiosa nescio quae distributio adhibita. Quarum rationum, si alteram non agnoscerimus, poëtam altera usum esse, statuendum erit.

Ac re vera animadvertimus, in Tristium libris nonnullis locis carmina deinceps posita esse, quae sunt argumento maxime diversa, contra ea, quae rebus et colore simillima sunt, consulto, ut quidem videtur, esse disiuncta. Velut inter libri

primi carmen secundum et quartum, quibus tempestas in mari experta simillimum in modum describitur, intercedit carmen tertium, quo poëta proficiscendi tempus reminiscitur.[1]) Porro eiusdem libri carmen septimum et nonum, quibus expertae fidei amici celebrantur, disiuncta sunt acerrima illa hominis male fidi castigatione carmine octavo expressa. Neque absimilis est ratio, qua libri quarti carmen septimum et nonum viris de poëta optime meritis missa distinentur carmine octavo, quod inter ea, quibus inimicus perstringitur, facile est acerbissimum. Accedit, quod epistolae ad uxorem datae nunquam nulla intervallo se excipiunt. Eadem personarum varietas, utrum in ceteris quoque epistolis connectendis deprehendatur, necne, diiudicari non potest, nisi antea personis, quibus singulae missae sint exploratis. Quae questio ne a temporum quidem indagatione plane aliena, mea quidem sententia nunquam eo perduci poterit, ut alteram hoc fundamento liceat exaedificare[2]).

Haec sola sunt indicia, quae ut in Tristium libris artificiosam aliquam disponendi rationem adhibitam esse, existimemus suadent. Cetera ita comparata sunt, ut in serie quidem carminum artem non quaerendam esse appareat. Quin etiam, quamquam in libri tertii carmine quarto (v. 32 sqq.) amici alicuius fides modo celebrata erat, quam et ipso relegationis tempore et postea praestitisset, eadem res eisdem fere verbis insequente carmine (v. 1—20) retractatur, ita ut haud inepte Lorentzius (p. 45 sqq.) ad eundem utramque epistolam pertinere coniecerit. Neque minus aliis locis connectuntur carmina, ut non adeo comparia, ita paululum tantum diversa (cf. III, 2 et 3, IV, 4 et 5). Ceterum, cum poëta in una eademque re fere semper versetur, ut et calamitates suas queratur, et amicorum auxilium imploret, summa ope niti debebat, ut hoc argumentum quam diversissimis modis efferret. Neque opus est, in disponendis demum et ordinandis carminibus varietatem quandam eum effi-

[1]) Quin a verbis „Tingitur e. q. s . . . . ." novum carmen incipiat, nemo iam dubitat.

[2]) cf. Lorentz: l. c.

cere studuisse, sed in ipso componendo eum eo duci consentaneum erat, ut res maxime diversas deinceps tractaret. Quamobrem ipsa illa varietate, quae nonnunquam deprehenditur, ea sententia, qua temporum ordinem servatum esse ponitur, commendatur magis quam refutatur. Accedit, quod ubicunque, quando carmen aliquod scriptum sit, definiri potest, fere semper temporum seriem non disturbatam esse cognoscitur, ut Schulzius priore disputationis parte ostendere conatus est, quamquam argumenta, quae adhibuit, non ubique satis firma esse contenderim. Itaque sine ullo periculo, quodcunque carmen priore loco positum erit, priore tempore compositum statuemus, nisi in singulis certissimas causas obstare opponebit.

His praemissis licet in primum Tristium librum inquiramus. Quem totum perfectum esse in itinere navali poëta dicit c. 11, 1 sqq.:

Littera quaecunque est toto tibi lecta libello,
Est mihi sollicitae tempore facta viae,
Aut hanc me, gelido tremerem cum mense Decembri,
Scribentem mediis Hadria vidit aquis,
Aut postquam cursu bimarem superavimus Isthmon,
Alteraque est nostrae sumpta carina fugae,
e. q. s.

Atque hoc ipsum quidem carmen in mari factum esse planis verbis declaratur: v. 23 sqq.:

Quocumque aspexi, nil est, nisi mortis imago,
Quam dubia timeo mente, timensque precor.
Attigero portum, portu terrebor ab ipso:
Plus habet infesta terra timoris aqua
et v. 39 sq.:
Iactor in indomito brumali luce profundo,
Ipsaque caeruleis charta feritur aquis.
e. q. s.

Quibuscum, quomodo alia, quae in eodem carmine occurrunt, conciliari possint, postea quaeremus. Nunc videamus, num eadem scribendi condicio in reliquis quoque libri carminibus

appareat. Ac primam quidem elegiam, utpote toto libro absoluto praefixam, paululum omittamus. Secundam autem et quartam, quibus tempestates depinguntur, composuit poëta, vel compositas fingit, ipsa etiamtum vi ventorum furente, qua se in conspectum Italiae relatum esse in utraque narrat (cf. 2, 91 sqq., 4, 17 sqq.). Quod siquis fieri posse neget, ut vitae periculo imminente aliquis versus deducat, at certe carmina illa componendi consilium eo tempore animo conceptum esse, non est, quin poëtae credamus. Tertium carmen, quo poëta profectionis tempus reminiscitur, quo loco compositum sit, cognosci nequit. Sed quo magis tempore talia ei in animo haesisse credamus, quam eo, cum in prima itineris parte occupatus esset? — Multo autem difficilior evadit quaestio de epistola quinta. Primum, in eis quae occurrunt genera dicendi e re navali petita v. 17 sq.:

Si tamen haec navis vento ferretur amico,
Ignoraretur forsitam illa fides.

et 36:

Et date naufragio litora tuta meo!

translatione poëta utitur, ita ut coniectandi fundamentum non praebeant. Magnopere autem retinemur versibus 61 sq.:

Nos freta sideribus totis distantia mensos
Detulit in Geticos Caesaris ira sinus.

Nonne poëtam, cum ea scriberet, iam Tomis domicilium posuisse, luce clarius videtur? Quod qui possit conciliari cum ipsius indicio in epistola undecima facto, non patet. Attamen iter tum temporis nondum perfectum fuisse, altero carminis quinti loco comprobatur. In comparatione enim illa inter sua ipsius et Ulixis fata instituta poëta haec profert: v. 65 sq.:

Ille suam laetus patriam victorque petebat,
A patria fugio victus et exsul ego.

Nam fugiendi verbum hoc loco non Graecorum more pro exulandi notione positum esse, inde apparet, quod opponitur petendi actioni. Quid igitur de versibus supra laudatis iudicamus? Possunt duobus modis ita explicari, ut difficultas, quam

ex eis oriri diximus, tollatur. Aut enim „Getici sinus" non pertinent ad oram Tomitanam, sed ad eam Thraciae partem ad meridiem versam, in qua Tompyra sita sunt, ita ut poëta paene iam perfecto itinere navali suo more rem exaggerans toto disticho exprimere voluerit, se immensum per mare iter usque ad Thraciae oram facere Caesaris ira coactum esse: quam explicationem et Loersius (p. 8) proposuit, et Schulzius (p. 5) sequi videtur:[1]) aut deferendi vocabulum hoc loco eam significationem habet, ut non multum distet a iaciendi vel mittendi notione. Quod fieri posse his exemplis comprobetur: Cicero orat. Phil. II, cap. 34 e fastis publicis haec verba laudat: „C. Caesari, dictatori perpetuo, M. Antonium consulem populi iussu regnum **detulisse**, Caesarem uti noluisse". Hic quoque deferendi verbo significatur solum studium rei alicuius in locum aliquem conferendi. Exemplum autem etiam praeclarius ipse Ovidius praebet. Hoc enim voto navem, qua usque ad Samothraciam pervectus est, prosequitur Tr. I, 10, 41:

A quibus adveniat Miletida sospes ad urbem
Offensi quo me **detulit** ira dei.

ut quidem legitur in codice Laurentiano[2]), quod nescio, an iniuria editores mutaverint in „depulit" vel „compulit". At, quin hoc carmen ante Tomos conspectos ortum sit, dubium non est. Sic igitur verba illa, de quibus agitur explicari possunt: „Me Caesar immensa maria percurrere et in Scythiam usque decedere iussit." Quare non est, cur in itinere navali carmen quoque I, 5 compositum esse negemus. — Iam accedimus ad carmen primum, quod toto demum libro absoluto conditum esse, inde facile intellegitur, quod de edendi ratione plurima proferuntur (v. 1 sqq.) Duo autem loci sunt, e quibus scriptoris condicio cognoscitur v. 41 sqq.:

Carmina secessum scribentis et otia quaerunt:
Me mare, me venti, me fera iactat hiems.

---

1) De Getarum nomine Thraciae incolis indito cf. Stat. Silv. III, 1, 17. id. Theb. 12, 478.

2) cf.: Riesii apparatum criticum: praef. ed. p. XXII.

Carminibus metus omnis obest; ego perditus ensem
Haesurum iugulo iam puto iamque meo.

Apertum est, poëtam etiam navigare. Quomobrem ea, quae dicuntur de metu mortis ense sibi inferendae, intellegi non possunt, nisi de occulto aliquo imperatoris praecepto, quo ne tolleretur in nave timebat, ut recte Leutschius (p. 50) videtur mihi sensisse. — Altero loco poëta his librum suum dimittit: v. 127 sqq.:

Longa via est, probera! Nobis habitabitur orbis
Ultimus, a terra terra remota mea.

Quae mirum in modum Graeberus (p. VI sq.) et Schulzius (p. 14) neglectis eis versibus, quos modo attulimus, interpretati sunt de nupero adventu poëtae. At si vim temporis futuri „habitabitur" recte percipimus, hic quoque de itineris tempore agi intellegimus. — Comparem autem esse scribendi et locum et condicionem in ultimo libri carmine, iam expositum est.

En rationes, quibus confirmatur, quod poëta professus est, omnes libri primi epistolas in itinere navali scriptas esse. Sed non solum singulae epistolae pleraeque argumentis satis certis ad hoc tempus referri possunt, sed etiam ipsum consilium libri alicuius, quo haec carmina continerentur, edendi a poëta conceptum in hac itineris parte, verisimilitudine non caret. Commendari igitur videtur Loersii, Leutschii sententia, qua a poëta, antequam alteram itineris partem pedibus perficiendam inciperet, librum primum Tempyris Roman missum esse constituitur. Sed illi haud paululum ultra hiemis tempus eum navigasse existimant; nobis reiecta ea opinione, ultra se offert dubitatio, num omnino statui possit, a poëta in ipsa navigatione, quam celerrime perfectam esse ostendimus, totum librum compositum correctum, expolitum, denique ad eam elegantiam perductum esse, quam et ipse se dignam existimaret, et nos etiamnunc in eo admiramur. Itaque etiamsi unum quodque carmen in nave ortum esse certissimis argumentis demonstrari posset, tamen ultimam manum Tomis demum admotam esse per se credibile est. Neque desunt loci quibus haud vanam esse hanc suspicionem comprobetur.

Quamquam, quae in carmine quinto eodem spectare videbantur, aliter explicata existimo. Summa autem animadversione digna est ea ultimi carminis pars, quam supra consulto omisimus. Inde enim a versu vicesimo quinto poëta pericula describit, quae nave relicta in terra subiturus sit. Ac fingit quidem, se sola mente prospexisse, quae postea eventura essent, ipsa autem descriptio, quae continetur versibus 31—34, tam accurate iam summis lineis ea depingit, quae poëta postea, cum iam Tomis habitaret, totiens exposuit, ut facile nobis persuadeamus, hunc quoque locum non e mera divinatione ortum esse. Neque interest, utrum verba v. 31 sq.:

Barbara pars laeva est, avidaeque addicta rapinae,
Quam cruor et caedes bellaque semper habent.

cum Schulzio (p. 9) intellegamus de Thracibus, quorum per fines poëta iter pedestre fecit, an de Tomitanis: utraque explicatione quamvis inviti ultra navigationis tempus deducimur. Quamquam igitur poëta ad hoc quoque carmen componendum in itinere accessit, tamen fortasse postea cum iam locum exilii cognovisset, nonnulla secundis curis iniecit, ut etiam magis augeretur illius temporis miseria, quo non solum praesentibus periculis vexatus, sed etiam futurorum expectatione excruciatus esset.

Re vera autem etiam itinere navali perfecto poëtam in primo libro elaboravisse, testatur carmen octavum, quo amicus male fidus perstringitur. E versibus enim 37 sqq.:

Non ego te placida genitum reor urbe Quirini,
Urbe, meo que iam non adeunda pede est,
Sed scopulis, Ponti quos haec habet ora sinistri,
Inque feris Scythiae Sarmaticisque iugis:

non possumus non concludere, poëtam aut Tomis iam esse, aut certe secundum sinistrum litus Ponti proficisci. Nam si legimus „haec ora" statuamus necesse est, oram, de qua agitur, poëtae ante oculos esse. De Ponto autem Euxino, qui alias quoque haud semel „sinister" vel „laevus" Pontus dicitur (cf. Tr. V, 10, 14. ex P. I, 4, 31. IV, 9, 119) agi, consequitur e

pentametro, in quo regio illa Sarmatico nomine, quod Thraciae septentrionali unquam datum esse, non memini, accuratius definitur. Frustra autem Loersius (p. 8) expedire se studuit duabus explicationibus propositis. Etenim „per prolepsin", inquit, „explicari possunt" vel „ita accipi possunt, ut poëta e mari, ubi ea scriberet, in eas oras, quamvis haud ita prope abesset, digitis ostendere putetur." Neque quae Schulzius (p. 6) profert, ab hac sententia videntur multum abesse: „. . . quae verba certe neque Corinthi, neque in qualibet urbe Graeciae aut Asiae scribere potuit, sed eo demum loco, quo toto itinere paene peracto non procul a Thracia et Ponto Euxino fuit." Quod si Loersio concederemus, quovis loco, quaevis orbis terrarum ora „haec ora" nominari potest. Facere igitur non possum, quin hoc carmen post iter navale finitum aut in itinere pedestri, aut ipsis Tomis post cetera huius carmina omnia compositum esse statuam, ut Wölffelius (p. 1843) videtur sensisse. Ut autem poëta hanc epistolam hoc loco insereret, argumenta variandi studio eum commotum esse supra suspicati sumus. Neque quidquam valet Graeberi argumentum, quod obstare videtur et ei sententiae, qua primum librum ab Ovidio Tomis demum absolutum esse, et ei, qua hiemali etiam tempore illuc eum venisse ponitur. Dicit autem (p. V). „Nam mihi quidem persuasum est, qui tantum identidem de Tomitanae hiemis saevitiis conquestus sit, eum etiam de molestiis pedestris itineris hiemali tempore per Thraciam facti non taciturum fuisse, si diebus hibernis iter confecisset." Sed consentaneum est, poëtam in nave ubi tota itineris cura posita est in nautis, multo plus otii habuisse ad carmina componenda, quam in itinere terrestri sive rheda, sive pedibus confecto, ubi unicuique viatori sua laboris pars suscipienda est. Praeterea non desunt in posterioribus libris loci, qui ad molestias in hac itineris parte toleratas spectent (cf. Tr. III, 2, 25. V, 2, 20. V, 3, 19).

Summa igitur disputationis ea est, ut primum Tristium librum Tomis demum absolutum et inde Romam missum esse intellegamus, quamvis pleraque carmina, ut et ipsius poëtae

testimonio, et argumentis satis certis efficitur, in itinere navali iam essent condita.

Longe alia est libri secundi natura. Est enim una epistola ad Augustum data, summa arte composita. Singula autem et diserta temporum indicia in ea frustra circumspicimus. Sed neminem fugere potest, ad tantum carmen tam diligenter elaborandum plus otii opus esse, quam proficiscenti obtingere solet. Consilium igitur talis epistolae ad Augustum mittendae haud dubie iam in itinere a poëta conceptum, opus ipsum Tomis demum inceptum nec nisi aliquanto temporis spatio perfectum est.

Quamquam autem in his licet acquiescere, tamen paucis tractanda sunt ea, quae in libro de bellis illa aetate gestis proferuntur. Nam ei ipsi loci a viris doctis utilissimi habiti sunt, quibus et tempus carminis erueretur, et anni, quibus bella illa gesta sint, explorarentur. Primi autem in quaestionem veniunt versus 169 sqq., qui ad Augustum imperatorem spectant:

Sic assueta tuis semper Victoria castris
  Nunc quoque se praestet notaque signa petat,
Ausoniumque ducem solitis circumvolet alis,
  Ponat et in nitida laurea serta coma,
Per quem bella geris, cuius nunc corpore pugnas,
  Auspicium cui das grande deosque tuos;
Dimidioque tui praesens et respicis urbem,
  Dimidio procul es, saevaque bella geris:
Hic tibi sic redeat superato victor ab hoste
  Inque coronatis fulgeat altus equis.

Exoptat poëta, ut Tiberius e bellis, quae tum gerebat, victor redeat. In quibusnam autem regionibus haec bella gesta sint, non dicitur, neque habemus certam rationem, qua diiudicemus, utrum de bello Pannonico tum temporis nondum confecto, ut Graeberus (p. VII) censet, an de clade Variana ulsciscenda verba intellegenda sint, ut Massonus contendit (ad ann. IX, 3, 4.) Nam quod tristissimus ille casus non propriis verbis commemoratur, inde non sequitur, poëtam de eo nondum certiorem

factum esse. Brandesius autem (p. 356) merito a Mayero (p. 457) explosus est, quod „saeva bella“ non referri posse contendit ad eam expeditionem, qua Tiberius clade Variana nuntiata ad Rhenum profectus est, sed necessario ad bellum Pannonicum nondum extinctum. Cum igitur discerni non possit, utrum clades Variana Ovidio iam cognita fuerit necne, certum temporis indicium ex hoc loco petere non licet.

Multo plus ponderis habere videntur versus 225 sqq.:

Nunc tibi Pannonia est, nunc Illyris ora domanda,
Rhaetica nunc praebent Thraciaque arma metum,
Nunc petit Armenius pacem, nunc porrigit arcus
Parthus eques timida captaque signa manu,
Nunc te prole tua iuvenem Germania sentit,
Bellaque pro magno Caesare Caesar agit.

Quamquam quae bella versibus 225—228 significantur, e diversissimis temporibus collecta sunt, ita ut recte Brandesius (p. 355 sq.) epistolae tempus ex eis cognosci posse negaverit. Ultimo autem disticho effici videtur, Tiberium iam ad Rhenum exercitui praeesse, quo post cladem demum Varianam eum missum esse constat. Sed priore quoque tempore, vivente etiamtum Druso maiore, Tiberius contra Germanos pugnavit. Neque etiamsi posteriorem illam expeditionem dici statueremus, quidquam inde praesidii nancisceremur aut ad annum cladis Varianae eruendum, aut, si de hoc non dubitaretur, ad relegationis tempus constituendum, quandoquidem poëtam per longius tempus in libro secundo elaborasse patet. — Simillima est, condicio versuum 233 sq.:

Urbs quoque te et legum lassat tutela tuarum
Et morum, similes, quos cupis esse tuis.

Cum enim anno 762/9 lex Papia Poppaea de maritandis ordinibus promulgata sit, nil impedit, quominus eam significari statuamus. Sed cum verba haud minus apte ad omnes curas illas referri possint, quos Augustus inde ab anno 726 (cfr. Tac. Ann. III, 28) civium moribus impendit, ne is quidem locus ad temporum quaestionem adhiberi potest.

Omissis igitur eis, quae aut nihil valent, aut a disputationis nostrae fine aliena sunt, eis nos contineamus, quae ex universa libri condicione apparent. Unum autem cavendum est, ne in sequentibus difficultatem nobis comparemus. Nam si per longius tempus poëtam in libro secundo occupatum fuisse ponimus, fortasse aliquis opinetur, prima tertii libri carmina ab habitationis Tomitanae initiis nobis removenda esse. Neque tamen ullos in hoc parte adhuc fines disputationi nostrae circumscripsimus. Nam qua tandem ratione cogimur, ut libro demum secundo perfecto poëtam ad tertii libri carmina scribenda accessisse nobis persuadeamus? Quod Massonus (ad ann. X, 4) videtur sibi persuasisse, cum haec profert: „At in Pontum vix venerat, cum librum secundum Augusto scripsit . . . . Quin etiam paulo post adventum elegias libri tertii conscripsit". Neque minus Graeberus (p. VII), Woelffelius (p. 1837), Meyerus (p. 451)[1], Leutschius (p. 51) totum librum secundum uno tenore perfectum esse censent. Quamobrem non mirum est, quod pars eorum quam maxime extendere conatus est tempus, quod intercesserit inter Italiam relictam eiusque hiemis molestias toleratas, quae describitur tertii libri carmine decimo. Sed ne nimiam fuisse iudicemus in afflicto poëta carminum componendorum celeritatem, non ea ratione cavendum esse, ut eum iam anno 761/8 ex Italia decessisse statuamus, postea apparebit. Item nonnulla primorum tertii libri carminum, quae tam brevia sunt, ut horae tempore possent perfici, ab eo composita esse, cum liber secundus nondum posset esse confectus, in singulis ostendetur. Attamen eum absolutum esse, priusquam omnia tertii libri carmina perficerentur et in unum corpus coniungerentur, id ipso loco, quo liber secundus positus est, efficitur.

Eis autem, quae de libro secundo exposuimus, iam progressi sumus ultra habitationis Tomitanae initium. Ceteri libri

---

[1]) „Von Theilen des zweiten Buches kann keine Rede sein, da dies nur aus einer 578 Verse langen Epistel an Augustus besteht." — — —

quin ipsis Tomis orti sint, dubium non est. Quorum tempora in universum una eademque ratiocinandi via definiuntur. Nempe horarum vicibus, quas Ovidius diligentissime persequitur, per singulos annos distributis, librorum tempora terminis satis certis circumscribuntur. Sed ne hic quidem omnis dubitatio plane remota est. Quae enim totiens conqueritur poëta de locorum asperitate, hominum ferocitate, ad rhetorum magis morem aucta, quam ad veri normam expressa videntur. Velut Histrum non quotannis ita glacie opperiri, ut rheda equisque traici possit, (cfr. Trist. III, 12, 30 cett.) nostra quidem aetate constat. Regionem autem illam in qua Tomi siti erant, non adeo omnis artium humanitatisque cultus Augusti aetate expertem fuisse, ut Ovidius credere nos iubet, ex eis cognosci potest, quae ne centum quidem anis post Dio Chrysostomus[1]) de ea tradit. — Sed ea de causa locorum Ovidianorum vis et usus ne minima quidem ex parte imminuitur. Nam licet omnia ficta sint, quaecunque de terra nivibus operta, de Histro glacie hostibus pontem praebente proferuntur, tamen cum veri speciem adsumant, in horarum quidem vicibus cognoscendis ut sinceris testimoniis eis uti possumus.

Liber autem tertius, ut praeter secundum omnes Tristium libri, proprium habet prooemium, e quo id tantum cognoscitur, poëtam Tomis iam domicilium habuisse, cum et singula carmina conderet, et in libri corpus cogeret v. 18 sq.:

In qua scribebat, barbara terra fuit.

Sed apertum est, hoc carmen loco tantum, non tempore ceteris antecedere.

In duobus sequentibus, quae ad hiemale tempus spectare viderentur, supra expositum est. Quae quamquam non tantam vim habent, ut hiemale tempus sine dubio cognoscatur, tamen id facile evincitur, carmina primo tempore nata esse, quod poëta Tomis degit, ut inde a Massono omnes consentiunt. Nam quae dicit poëta, III, 2, 1 sq.:

---

[1]) cf. or. XII 376 R. sqq. XXXVI init.

Ergo erat in fatis Scythiam quoque visere nostris,
Quaeque Lycaonio terra sub axe iacet?

sunt verba eius, qui iniquam aliquam fortunam modo expertus, vix animum inducere potest, se re vera in tantam calamitatem incidisse. Ad idem tempus spectat, quod versibus 15 sqq. opponitur ea animi condicio, qua poëta in ipsa via usus sit, ei, quam exilii loco conspecto adeptus est. Denique morbus ille, quo se laborare narrat in carmine tertio, inde ortus est, quod poëta durae regioni nondum assuefactus est (cf. v. 3 sqq.) Quod autem versibus 57 sq.:

Quod potes, extenua forti mala corde ferendo,
Ad quae iam pridem non rude pectus habes.

uxoris constantiam consuetudine malorum commemorata confirmat, eo non efficitur longius tempus exilii iam peractum esse, cum illa iam ante Tomos a viro visos satis superque doloribus exercitata esse potuerit.

Insequentes epistolae, ut non dubium, quin temporum ordine se excipiant, ita temporum indiciis carent. Nam quod Brandesius (p. 350) versibus 8, 29 sq. hiemis adventum significari contendit, haud minus mirum esse, quam quod supra ex epistolae secundae versu 20 eiusdem horae finem adesse conclusit. Meyerus (p. 454) iam vidit. Quis enim animum inducat, poëtam ad tam usitata comparationum genera adhibenda non potuisse deduci nisi praesentium tempestatum natura?

Cardo autem quaestionis versatur in epistola decima, qua Ovidius hiemis molestias a se ipso Tomis cognitas copiosissime depingit. Quae hiems, cui anno attribuenda sit, magna est dissensio. Massonus enim (ad ann. X, 5) et Meyerus (p. 454 sq.) hoc quoque carmen ad eandem hiemem referunt, quo Ovidius ex Italia profectus et Tomos ingressus sit, cui quod insecutum est ver, in carmine demum duodecimo Massonus commemorari existimat. Sed haec sententia non una ratione refellitur. Primum recte Graeberus (p. VII) monuit, non esse verisimile, temporis spatio tam exiguo tot versus ab Ovidio

compositos esse, cum et aeger esset, ut ipse narrat in epistola tertia, et in domicilio novo et incommodo multis rebus a scribendo abstraheretur. Neque solum duodecim carmina minora, sed etiam libri secundi maxima pars ab eo intra id tempus condita esset. Quod, cum exeunte demum hieme advenire potuerit, non potuit esse effectum, nisi quotidiana scribendi opera intentissima. Longius igitur temporis spatium et desideratur, et re vera intercessisse confirmatur epistola septima ad Perillam missa. Cui carmini de sua ipsius mente et valetudine poëta hunc nuntium perferendum dat. v. 7:

Vivere me dices, sed sic, ut vivere nolim,
Nec mala tam longa nostra levata mora.

Hic autem „longa" illa „mora" multo maiore animadversione digna est, quam consuetudo malorum, qua supra uxorem iam excercitatam esse dixerat (III, 57). Ibi enim poëta continuam illam malorum seriem, quam poena coniugis constituta, uxor perpessa erat, significat, dum illum ab amicis divelli vidit et per infestum mare infestioresque terras in Scythiam usque mente prosecuta est. Hic autem ad quaestionem a Perilla faciendam, qua quid ipse in remotissimo illo exilii loco agat, eam sciscitari fingit; respondet, qua primo exilii tempore affectus sit animi corporisque aegritudine, eam ne, nunc quidem, iam spatio aliquo praeterito, imminutam esse. Quod exigua illa primae hiemis parte, quam Tomis degere potuit, non accidisse vix dignum erat, quod commemoraretur. —

Validissimum autem argumentum, quo carmine III, 10 hiemen annorum 9 / 10 non describi apparet, ex ipso desumitur. Nam priusquam accedit poëta ad pericula, quibus hiemali tempore regio illa vexetur, depingenda, de aestiva securitate haec praemittit v. 7 sq.:

Dum tamen aura tepet, medio **defendimur** Histro:
Ille suis liquidus bella repellit aquis.

Quibus, nisi omnia me fallunt, efficitur, eum etiam securum illud aestatis tempus vidisse, ita ut vice eo magis conturbaretur. Nempe ea de causa prima illa persona „defendimur" usurpata

est. Plane enim eodem modo poëta eodem verbo utitur alio loco, quo sine dubio de rebus ab ipso visis agitur Trist. V, 10, 27 —:

Vix ope castelli defendimur . . .

De hiemis autem initio sibi ipsi Tomis cognito etiam fusius agit inde a versu III, 10, 37:

Vidimus ingentem glacie consistere Pontum
e. q. s.

Nam consistendi verbum sollemne poëtae est de hiemis initio dicentis. cf. ex. Pont. I, 2, 81 sq.:

Quaeque aliae gentes, ubi frigore **constitit** Hister,
Dura meant celeri terga per amnis equo.

Denique quae narrat v. III, 10, 49 sqq. de piscibus etiam tum viventibus glacie ligatis:

Videmus in glacie pisces haerere ligatos,
Sed pars ex illis tunc quoque viva fuit.

non potuit vidisse nisi primo hiemis frigore repente exorto. Rectissime igitur ad hiemem annorum 10 / 11 hoc carmen referendum esse Loersius iudicavit quamquam ratio eius, qua poëtam hieme 9 / 10 omnino iam Tomis fuisse, praefracte negat, nil ponderis habet.

Ver autem anni 764 / 11 in epistola duodecima agnoscimus v. 1:

Frigura iam zephyri minuunt . . . . .
et v. 27 sqq.

At mihi sentitur nix verno sole soluta,
Quaeque lacu duro non fodiuntur aquae:
Nec mare concrescit glacie, nec, ut ante, per Histrum
Stridula Sauromates plaustra bubulcus agit.

Consulto autem primi distichi duo tantum prima verba in usum vocavimus, cum pentameter corruptior sit, quam ut, quomodo cetera hexametri pars „annoque peracto" interpretanda sit, satis pateat.[1])

---

[1]) Lachmanni coniectura a plerisque accepta est:
Frigora iam Zephyri, minuunt annoque peracto
Tardior intepuit visa Tomitis hiems.

In hoc autem quoque carmine, ut in libro secundo, nimis momenti tribuisse videntur viri docti eis quae de rebus publicis leguntur v. 45 sqq. Nauta enim, inquit poëta, quicunque Tomos pervenerit,

Is, precor, auditos, possit narrare triumphos
Caesaris et Latio reddita vota Jovi:
Teque, rebellatrix tandem, Germania, magni.
Triste caput pedibus supposuisse ducis.

Atque id quidem non dubium est, quin post cladem Varianam haec scripta sint. Sed quod Brandesius (p. 357) et Meyerus (p. 450), contenderunt, hoc demum loco primam pugnae illius mentionem fieri, demonstrari non posse supra vidimus. E verbo autem „tandem" id videtur apparere, poëtam post nuntium cladis acceptum iam per aliquod tempus anxia quadam spe cruciatum esse, tandem fore, ut Germania subigeretur. Sed ad eam sententiam, quam nos de carminis tempore proposuimus nil interest, utrum Varus anno 762/9 an anno 769/10 perierit. Carmine denique paenultimo poëta diem suum natalem alloquitur. Nihil autem invenitur argumenti, quo confirmetur sententia a Mayero (p. 456 et 459) tam confidenter prolata, hunc esse primum diem natalem, quem poëta Tomis viderit. Sin statuamus necessarium fuisse, ut exsul poëta, die natali primum redeunte, eiusmodi cogitationes conciperet et carmine composito in lucem promeret, ita ut hac ratione efficiatur, eum mense Martio[1]) eius anni, quo Italiam reliquit, nondum Tomis fuisse, cur non etiam in itinere idem accidere oportuisse contendamus, in quo hoc anni 762/9 tempore eum occupatum fuisse Graeberus, anni 762/10 Loersius censet? Sed nonne simillimo modo postea poëta in libri quinti carmine tertio et quinto diem Baccho sacrum[2]) et uxoris diem natalem commemorat, qui quominus a poëta, ad quodcunque anni tempus pertinent, iam

---

[1]) Natum esse Ovidium a. d. XIII. Cal. Apr. notum est (cf. Tr. IV, 10, 13 sq.).

[2]) Cf. quae infra dicentur.

priore anno Tomis celebrari potuerint, ne Meyeri quidem rationes obstant?

Eo igitur deducimur, ut libri tertii carmina distribuamus per totum tempus, quod intercessit inter exeuntem hiemem vel iniens ver anni 763 / 10 et ver insequentis anni. Ac primae quidem huius spatii parti duo tantum carmina certo attribui possunt (2 et 3). Neque mirum, quippe cum eodem tempore liber quoque secundus confectus sit. Septimum iam paulo plus temporis praeterlapsum testatur (v. 8), primum denique et decimum quartum postremo addita sunt. Quod autem ep. 14, 41 sq. „custodia muri" commemoratur, inde hiemale tempus, quo maxime Getarum incursiones factas esse scimus, adesse non consequitur. Nam poëta hoc ultimo carminis parte deinceps omnes eas res enumerat, quibus hoc toto libro componendo impeditus sit. —

De quarti libri temporibus viri docti aut tam diversa, aut, siquidem concinentia, tam diversis rationibus confirmata protulerunt, ut sententias eorum deinceps examinemus necesse sit, priusquam singulas controversias diiudicare conemur.

Primum Massonus, quem non semel rectissimo iudicio usum esse et vidimus et videbimus, in hac quidem quaestionis parte rem tam obiter strinxit, ut ne sibi quidem ipsi constaret (ad ann. XI). Quamquam enim libri tertii carmine decimo tertio de primo die natali agi contenderat, quem Ovidius Tomis vidisset (ad. ann. X, 4), ita ut totus liber non extra initium veris anni 763 / 10 extenderetur, tamen totum quartum librum ad annum 764 / 11 refert. Atque carmen quidem sextum propter v. 19 sq. recte post autumnum anni 764 / 11 conditum ponit, ex insequentis autem epistolae versibus primis nil apparere statuit, nisi ver eiusdem anni iam praeteritum esse. Sed vide, quanta difficultate haec sententia laboret! Nam cum, quin temporum ordo in Tristium libris servatus sit, nunquam Massonus in dubitationem vocaverit, duae res minime probabiles ei ponendae sunt. Primum, nisi forte poëta per longius tempus

carminibus pangendis omnino abstinuit, carmina III, 1 et 14, IV, 1, 2, 3, 4, 5 distribuuntur per viginti paene menses, quae intersunt inter primum ver anni 763 / 10 et vindemiae tempus anni 764 / 11. Tum carminis IV, 7 tempus, e Massoni ratione tam mirifice a poëta significatum est, ut quod hieme demum componere potuerit, „post ver" compositum esse indicaverit. Quod utrumque alienissimum est a poëtae more, qui et scribendi facilitatem hoc quoque tempore servavit, et, ubicunque, quantum temporis iam exsul esset indixit, nunquam citra veri fines mansisse putandus est, praesertim hoc loco, quo amicum incusat, quod per totum exilii tempus adhuc praeterlapsum sui non memor fuerit. De inverso autem temporis ordine neque Massonus cogitavit, neque omnino sine idonea causa cogitandum esse supra exponere conati sumus. Sententia igitur eius stare non potest: quamquam alteri eius errori ita facile mederi possumus, ut librum tertium usque ad ver anni 764 / 11 extendamus; alter, qui ab aliis quoque fere omnibus admittitur in versibus IV, 7, 1 sq. interpretandis postea pluribus tractandus erit.

Simillime Meyerus (p. 459) ratiocinatus est. Sed cum temporum ordinem accuratissime servatum esse sibi persuaserit, carmen sextum non anni 11/764, sed anni 10/763 autumno attribuit. Quod ut fieri possit, exilii autumnos ab anni 762/9 autumno numerari statuit. Neque tamen sententiam, ad quam sui ipsius errore quasi invitus deductus est, argumentis confirmare omnino suscepit.

Graeberus autem (p. VII) inde proficiscitur, ut poëtam iam anno 8/761 relegatum esse contendat. Carmine igitur sexto autumnum, septimo ver anni 763/10 significari existimat, ipso carmine ad hiemem demum insequentem relato.

Porro Brandesius (p. 350), qui carmen III 12 veri 11/764 adscripserat, ad eundem annum idemque anni tempus epistolam IV, 7 pertinere existimat. Ergo eodem tempore, quo liber tertius editus est, quarti quoque dimidia pars perfecta erat? Quid autem de carmine IV, 6 statuimus? Utrum post insequens compositum est, an autumni, ut Meyerus voluit, ab

anno 762/9 numerandi sunt? De tantis difficultatibus apud Brandesium quidem altum silentium!

Loersius denique (p. 11) solus de epistolae IV, 7 tempore eam sententiam protulit, quam mox confirmare conabimur. Sed id ei ratiocinandi fundamentum est, ut poëtam „sine dubio adulto iam vere a. 763 demum" in Scythiam pervenisse contendat. Unde, etiamsi certissimum esset, de carminis tempore nil consequi apparebit.

Iam ipsi cauto pede quarti libri carmina perlustremus.

In primo autem statim carmine duo loci occurrunt, qui ne quid praetermisisse videamur, quid valeant, quaerendum est. Primum poëta inde a versu 67 plurimus est in periculis, quae a Getis terram saepe depopulantibus immineant, depingendis. Quae cum hiberno maxime tempore subeunda fuisse sciamus, fortasse inde temporis indicium aliquis deprompturus sit. Sed neque constat, hac sola anni parte Getas timendas fuisse [1], neque destituti sumus explicatione in ultimo quoque libri tertii carmine adhibita, qua a poëta unum idque maximum e scribendi impedimentis commemorari statuimus, ut quae inessent in toto libro vitia excusarentur. Hoc enim utroque carmine Ovidius assequi studet. —

Descriptione autem illa absoluta sic pergit v. 85.

Hic ego sollicitae iacos novus incola sedis:

Quibus verbis Meyerus (p. 456 et 459) effici censet, carmen etiam anno 763/10 compositum esse, quod insequente anno poëta novum incolam se appellare iam non potuisset. Sed quis tam confidenter utatur, verbis, quibus poëta certum temporis indicium ne voluit quidem facere? Nonne conveniebat ei, novum se incolam dicere, qui nondum molestiis illius regionis assuefactus esset, licet iam per conplures annos ibi habitaverit? Praeterea „novus incola" talis quoque potest appellari, qualis adhuc illic non visus sit.

---

[1]) cfr. Trist. V, 2, 71 sq.:

Pax tamen interdum est, pacis fiducia nunquam.
Sic hic nunc patitur, nunc timet arma locus.

In secundo carmine poëtae menti splendidissimus triumphus obversatur, quem de Germania reportatum iri sperat. Neque dubium est, quin haec spectent ad expeditionem a Tiberio, clade Variana nuntiata, fines a Germanorum incursionibus tutandi causa susceptam. Cuius muneris anno 764/11 Germanicum quoque participem factum esse, Cassius Dio (50, 25) auctor est. Brandesius (p. 358) autem duplex illud imperium hoc ipso carmine commemorari amimadvertisse sibi visus est. Sed primis versibus 1 sq.:

Iam fera Caesaribus Germania, totus ut orbis
Victa potes flexo succubuisse genu

Augustum quam Germanicum una cum Tiberio dici aptius statuemus, cum, nisi Augusti mentione iniecta vix totus orbis subiectus afferri possit. Ad quos versum quoque octavum spectare:

Donaque amicorum templis promissa deorum
Reddere victores **Caesar uterque** parent

eo certissimum est, quod tum demum Germanicus inducitur v. 9.

Et qui Caesareo iuvenes sub nomine crescunt,
— — — — — —

Is enim cum Druso minore intellegendus est. — Versus denique 19 sq.:

Ergo omnis populus poterit spectare triumphos,
Cumque ducum titulis oppida capta leget.

mirum sane in modum Brandesius ita interpretatus est, ut „ducum titulos" de Romanorum imperatoribus intellegeret. Sed sunt sine dubio nomina et honores ducum captivorum, qui aeque atque urbium captivarum nomina, tabulis inscripta in triumpho ferebantur. Confer, quaeso, quae sibi in Tiberii triumpho describendo defuisse Ovidius queritur ex. P. III, 4, 39 sq.

Nec mihi nota ducum. nec sunt mihi nota locorum
Nomina . . . . .

Quamobrem ne hic quidem bellorum mentio ad tempus carminis eruendum quidquam utilitatis habet.

Neque minus omni temporum indicio carent carmina III,

IV, V. Sextum denique nobis occurrit. Totus autem versatur poëta in eo, ut miseriam suam tempore, quo omnes res imminuantur, non solum non levari, sed etiam augeri exponat. Neque solum ea iam re facile commovemur, ut secundo quam primo exilii anno haec scripta esse statuere malimus, sed etiam apertissimum temporis indicium fit versibus 19 sq :

Ut patria careo, bis frugibus area trita est,
Dissiluit nudo pressa bis uva pede.

Dicit poëta sibi inde ab eo tempore, quo Italiam reliquisset, bis vindemiam visam esse. Qui autem mense demum Decembri per mare Adriaticum Joniumque navigavit, is vindemiae anni 762/9 tempore sine dubio patria nondum carebat. Quamobrem hic non opus est pluribus refutare Meyeri sententiam supra expositam, praesertim cum de eis difficultatibus quibus ad eam depelli se passus est, postea dicturi simus. Eidem autem errori, quem hoc quidem loco evitavit, Massonum quoque alibi indulsisse, postea videbimus. Cum igitur carmen compositum sit post autumnum anni 764/11, antecedentia eiusdem libri vere aestate, autumno eius orta sunt.

Neque longo temporis intervallo secuta est epistola septima, siquidem recte interpretamur, quae in capite eius leguntur v. 1 sq.:

Bis me sol adiit gelidae post frigora brumae,
Bisque suum tacto pisce peregit iter.

Quorum versuum sententiam non recte adhuc a viris doctis intellectam esse, paulo fusius exponendum est. — Ac Meyerus (p. 459) quidem contendit, ex hexametro nil apparere, nisi bis poëtam vidisse solstitium brumale. Sed nostro loco brumam non unum illum diem dici, a quo hiems incipit, ea iam ratione paene evinci mihi videtur, quod „frigora brumae“ plurali numero ponuntur. Sic enim multis locis totum tempus hiemale frigoribus infestum significatur. (cf. Tr. III, 10, 19, 12, 1. V, 7, 49. Fast I, 149. II, 151.) Ad ver igitur, non ad hiemem anni 764/11, ut Meyerus censet, iam his solis verbis deducimur. — Sed pergamus ad pentametrum, cuius Meyerus omnino rationem

non habuit. Quo nos non ultra deferri post Massonum omnes sibi persuaserunt, explicandae tantum vel circumscribendae hexametri sententiae causa pentametrum adiectum rati. Sed primum, si dicit poëta, solem, ex quo ipse aut Italiam reliquisset, aut Scythiam ingressus esset, iter suum bis peregisse, apparet, bis ei intra huius temporis fines et initium et finem eius itineris visum esse, quod per signa caelestia facere videtur. An illis locis, quibus poëta iam decem sibi lustra peracta esse profitetur, (Tr. IV, 8, 33. 10, 95, Ib. 1 sq.) non de plenis quinquaginta annis sibi visis, sed de postremis finibus tantum decem lustrorum dici existimemus, ita ut quadraginta sex anni possint esse hac ratione significati? Ergo hic quoque versus ita intellegendus est, ut solem non tantum bis tetigisse piscium signum indicetur, sed semel tacto bis eodem rediisse. Sin recta esset Massoni aliorumque explicatio, poëta eandem plane sententiam bis protulisset. Nunc sublato hoc abundantiae crimine, elegantissimam verborum structuram agnoscimus. Nam verbis „sol adiit“ adversa fronte opponuntur „peregit iter“, ita ut altero loco significetur initium, altero finis itineris solaris. Si igitur, quae est totius distichi sententia ad pedestris sermonis normam exprimere velimus, haec fere evadat: „Bis sol post hiemis tempus totum iter percurrit“. Commoratur autem sol in piscium signo ab Idibus Februariis usque ad initium veris. Scripta igitur est epistola, cum iam tertiae exilii hiemis 11/12 Idus Februariae adessent[1]), ita ut tempore non multum distet a carmine sexto, quippe quod scriptum sit post autumnum anni 11/764.

Animadvertendum autem est, hunc locum ita comparatum esse, ut, utrum totius exilii an habitationis tantum Tomitanae tempus computetur, non disertis verbis expressum sit. Quod fortasse epistolae argumento accuratius inspecto diiudicari potest. Criminibus enim persequitur poëta amicum aliquem, quod per tantum temporis spatium epistolam sibi miserit nullam. Nonne

---

[1]) Ita Merkelius quoque iudicavit: Prolus ad Ib. 390.

igitur verisimilius est, id tempus significari, quod Tomis degit, ita ut posset epistolas accipere, quam id cuius priore parte in itinere fuit? In ipso enim itinere eum vix epistolas accipere potuisse supra expositum est. Unde consequeretur, poëtam iam ante Idus Februarias Tomos venisse, quod antea non plane pro certo affirmare licuit. Sed ne hac quidem ratiocinatione res conficitur. Nam potuit poëta, quo augeatur amici illius crimen, re vera itineris tempus adicere.

Sin cum Loersio (p. 10 sq.) et de solo habitationis tempore cogitandum esse, et poëtam adulto demum vere anni 763/10 in Scythiam venisse statueremus, necessario deduceremur ad ver anni 13/766, quo non posse pertinere c. Trist. IV, 7 quivis intellegit. Videmus igitur Loersium quasi fortuito, falsa ratione usum, ad verum pervenisse.

Cetera quarti libri carmina temporum indiciis carent, nisi quod in octava et decima de quinquaginta annis ante exilii tempus peractis mentio fit.

Pertinet igitur liber usque ad hiemis minimum finem annorum 11/12.

In libri quinti carminibus novem prioribus pauca tantum animadversione digna sunt. Non semel de se ipso poëta praedicat, iam se assuevisse caelo illius regionis (2, 3 sqq.) linguamque Geticam iam didicisse (7, 55 sq.) Dies autem Baccho sacer. a. d. XVI Cal. Apr. celebratus (cf. Fast. III, 713 sqq.), qui commemoratur carmine tertio anno 12/765 sine ulla difficultate attribuitur. Quod quomodo Massonus quoque probare potuerit (ad. ann. XII, 1), quippe qui epistolam decimam ad „hiemem huius ineuntis anni" refert, non intellego, nisi forte temporum ordinem turbatum existimat. — In quarto autem carmine Brandesius eodem falso ratiocinandi modo usus est, quo iam bis quaestionem ab eo turbatam esse vidimus (III, 2 et III, 8). Nam cum in c. IV. hiemis mentionem fieri contendit (p. 350: Hiems III) non potest respexisse nisi ad vv. 7 sqq.:

Tristitiae causam siquis cognoscere quaerit,
Ostendi solem postulat ille sibi,
Nec frondem in silvis, nec aperto mollia prato
Gramina, nec pleno flumine cernit aquas.

Quam explicationem Schraderus[1]) corrigere conatus, loci sententiam etiam peius corrupit. Quae enim dicuntur de sole, de fronde, de graminibus, de aquis ad universam regionis Tomitonae naturam referenda ratus, in exempla, quibus talia etiam alibi de ea dici comprobetur, indaganda inutilem curam contulit. At nonne luce clarius est, omnia illa non propria significatione usurpari? Scilicet poëta tristitiam suam idcirco summam esse dicit, quod ex causa tam gravi, tam aperta, tam non e sua mente, sed e rebus exorta sit. Cui sententiae his finem imponit v. B. sq.

Di facerent utinam, talis status esset in illo (sc. poëta)
Ut mihi tristitiae causa docenda foret.

Eum igitur, qui causam illam quaerat, haud aliter facere dicit, ac qui de rebus apertissimis, quae uniuscuiusque oculis obversentur, ab altero edoceri velit. — Itaque dubitari non potest, quin in nostra quaestione hoc loco abstinendum sit.

Carmen quintum conditum est uxoris die natali, qui, quamquam quo mense fuerit, non traditur, tamen a Graebero (p. VIII) et Schulzio (p. 12) propter versum 9 sq.:

Araque gramineo viridis de cespite fiat,
Et velet tepidos nexa corona focos.

aliqua cum verisimilitudine aestivo anni tempori attribuitur. Certam autem temporis notam praebent carminis decimi versus 10 sq.:

Ut sumus in Ponto, ter frigore constitit Hister,
Facta est Euxini dura ter unda maris.

Quae sine dubio hanc sententiam exprimunt: „Ex quo hic habito, ter hiems denuo advenit." Eisdem enim verbis hiemis initium significatur ex P. I, 2, 81, ut iam supra animadvertimus:

---

[1]) Fleckeis 115. S. 847 „Bezieht sich vielmehr allgemein auf den Ort der Verbannung."

Quaeque aliae gentes, ubi frigore constitit Hister,
Dura meant celeri terga per amnis equo.

Quamobrem falsi sunt Massonus (ad ann. XII.), Meyerus (p. 459), Brandesius (p. 350), qui quamquam Ovidium exeunte demum hieme annorum 9/10 Tomos venisse statuunt, haec verba de initio hiemis 11/12 intellegunt [1]. Nam initio hiemis 9/10 illorum quidem sententia nondum Tomis erat. Solus Graeberus ex ipsius quidem ratione iure ad hiemem 11/12 deductus est, quippe qui Ovidium iam anno 8/761 profectum et ante initium hiemis 9/10 Tomos pervenisse sibi persuaserit. Loersius autem, utrum recte verba illa interpretatus sit, necne, discerni non potest: quamquam in Massoni, Brandesii, Meyeri errorem incidere non potuit, cum hieme 9/10 poëtam omnino nondum Tomis fuisse persuasum haberet. Quod utrum recte iudicaverit necne ad tempus carminis eruendum nil interest, dummodo initium hiemis significari non obliviscamur. Sin re vera poëta etiam hieme 9/10 Scythiam ingressus est, compositum est carmen initio quartae (12/13) hiemis.[2]) Distat igitur ab epistola IV, 7 decem minimum mensibus.

Neque tamen ultra hiemem annorum 12/13 librum quintum pertinere, apparet carminis decimi tertii versibus 5 sq.:

Perque dies multos lateris cruciatibus uror,
Sed quod non modico frigore laesit hiems.

Nam quod Schulzius (p. 12) animadvertisse sibi visus est, tempore perfecto „laesit" adhibito effici, hiemem iam peractam esse, refutare opus non est.

Si igitur hanc disputationis partem comprehendimus, distribuendos esse videmus quinque Tristium libros per tres plenos annos, ita ut pertineant usque ad ineuntem hiemem annorum 12/13 [3]). Quo Loersium non recta ratione pervenisse et iam

[1]) Brandes. l. c. p. 350: „. . . ihn rechnet Ovid als den dritten Winter seines Aufenthalts in Tomi."

[2]) Idem Merkelius existimat: Prolus. ad. Ib. 390.

[3]) Qua ratione et Wölffelius (p. 1838) et Teuffelius (R. L. p. 532) ultra hiemem 12/13 progressi sint, equidem non intellego.

monuimus et postea certissimo argumento ostendetur. Iam autem ea quaestione, quae est de Tristium temporibus absoluta, quae adhuc stabilita videantur, hac tabula depingantur:

762/9	December	I, 2. (3). 4	I, 5–7
763/10	Januarius	I, 8, III, 2. 3	9–11
	Februarius		
	⋮	III, 4–9. 1	lib. II
	⋮		?
	December	III, 10	
764/11	Januarius		
	Februarus	(11)	
	Martius	III, (12). 13	
	⋮	IV, 2–5	
	November		
	December	IV, 6	
765/12	Januarius		
	Februarius	IV, 7	< IV, 1. 8–10
	Martius	V, 3	
	⋮	V, 4–9	
	December	V, 10. 14. 1	
766/13	Januarius		

In epistolarum, quae „ex Ponto" inscribuntur, temporibus indagandis tantae occurrunt difficultates, ut non possimus ad rem ipsam cum aliqua spe accedere, nisi antequam quaestiunculis quibusdam, quae a temporum quaestione non apte disiungi possunt, via plana reddita sit.

Atque id ipsum quidem propria disputatione eruendum est, quae sint operis partes coniunctim tractandae, quaeve distinendae, quo recte ratiocinatio procedat. Nam legentem fugere nullo modo potest, priores tres libros artiore quodam vinculo inter se, quam cum libro quarto cohaerere. Eadem enim in omnibus amicorum nomina deprehendimus, quorum pleraque in quarto libro iam non apparent, eundem in omnibus epistolis (excepta sola III, 7) poëta animum prae se fert, ut perterritum timidumque, ita omni spe haudquaqum vacuum. Quamobrem necessario oritur suspicio, non tria corpora seiuncta, sed unius corporis membra bene cohaerentia nobis servata esse. Quod discerni non potest, nisi externa operis forma accuratius inspecta.

Reminiscamur autem ea, quae supra de Tristium libris exposuimus. Apertissimum erat, unumquemque eorum opus esse perfectum et absolutum. Ad sententiam plane contrariam in tribus prioribus Ponticarum epistolarum libris pervenimus. Primus enim et tertius, alter epilogo (ut ita dicam) alter prooemio caret, secundus utraque re privatus est. Quamquam concludendi munere fungi videtur carmen II, 11, ad Rufum missum. Legitur enim v. 1 sq.

Hoc tibi, Rufe, brevi properatum tempore mittit
Naso, parum faustae conditor Artis, **opus.**

Nam vocabulum „opus" plerumque significat maius aliquod corpus, arte quadam coniunctum,[1] ita ut hic quoque de toto libro secundo agi, facile nobis persuadeamus. Quo Woelffelius (p. 2061 Anm.) deductus est, ut aut prooemio, aut epilogo adiecto, per se quemque librum editum esse contenderet. Sed praeterquam quod admodum mira esset haec ratio, neque ulla

---

[1]) cfr. Trist. I, 7, 29.

causa indagari potest, cur desciverit poëta ab eo more, quo ceteroquin perfecta et absoluta opera edere solitus est, ne est quidem ea epistolae II, 11 natura, ut totum librum ea concludi recte statuamus. Quid enim efficere velit poëta, sequentibus versibus exponit v. 3. sq.:

Ut, quamquam longe toto sumus orbe remoti,
Scire tamen possis, nos meminisse tui.

Memoriam autem illam fide et beneficiis a Rufo comparatam esse, cetera carminis parte edocemur. De opere ad Rufum misso nil adicitur. At inspiciamus Tristium libri III epistolam 14, quae, si Woelffelii sententiam sequimur, eodem consilio, quo epistola ad Rufum data, ultimo libri loco posita est. Quantam ibi operam confert poëta in carminum suorum, quae tertio libro continentur, natura nascendique condicione explicanda! Quantopere in hoc argumento tota epistola versatur, ceteris, quae ad amici, qui appellatur, personam pertinent, breviter peractis! Contra Rufi imago brevissimo carmine satis accurate adumbratur. Quae si consideramus, haec duo carmina ut tenore, sono, argumento, ita consilio quoque plane diversa esse cognoscimus, epistolamque Rufo missam de ea dignitate, quam Woelffelius ei vindicavit, deiciemus. Quod nullo modo facere vetamur „operis“ nomine in altero versu usurpato. Nam singulas quoque epistolas hoc vocabulo posse significari ostenditur loco: Epist. Sapphus v. 4.

An, nisi legisses auctoris nomina Sapphus,
Hoc breve nescires unde movetur **opus**.

Neque maiore iure, quam huic epistolae epilogi, carmini primo tertii libri locus prooemii datur, quamquam ne hic quidem omnis species deest. Nam videtur aliqua intercedere similitudo inter hoc carmen et ultimam Tristium epistolam (V, 14.), quae, quid ponderis haberet et argumento et loco, suo tempore exposuimus. Utraque enim epistola uxor laudatur et admonetur, ita ut ad hanc Ponticarum epistolarum liber tertius delegari videatur. Sed mentem poëtae hic plane aliam fuisse, quam cum Tristium libris illo carmine finem imponeret,

facile cognoscitur. Illic enim perfecti quadam operis laetitia effertur, hic tam sollicitum animum ostendit, ut re vera uxoris voluntatem incitandam ei visam esse appareat. Accedit, quod argumentum non in universum tractatur, sed ad triumphi a Tiberio acti tempus expositio refertur (v. 133 sq.). Iustum igitur prooemium in hoc libro desideratur.

Restant epistolae I, 1 et III, 9, quarum altera maius aliquod opus incipi, altera concludi paucis versibus adscriptis patet: I, 1, 3 sq.:

Si vacat, hospitio peregrinos, Brute, libellos
Excipe, dumque aliquo, quolibet abde loco.

III, 9, 54 sq.: — — — — —
Hoc opus electum ne mihi forte putes.

Quaeritur autem, utrum altero loco solus primus liber significetur, altero solus tertius, an eiusdem operis tres simul libros amplexi termini agnoscendi sint. Ac primum quidem, quaecunque utroque carmine proferuntur, eodem iure ad omnes tres, quo ad primum vel tertium librum referri possunt. Nam quibus poëta in prima epistola naturam, rationem, argumentum operis sui describit, ea omnia in omnibus tribus libris signa cernuntur: v. 15 sqq.:

Invenies, quamvis non est miserabilis index,
Non minus hoc illo triste, quod ante dedi,
Rebus idem, titulo differt, et epistola cui sit
Non occultato nomine missa docet.

Neque minus omnes libri eis vitiis inquinati sunt, quae poëta in epistola III, 9 confitendo excusare studet v. 1:

Quod sit his eadem sententia . . . libellis. —

Aptissime igitur potuit poëta duabus illis epistolis tribus libris una editis et praefari et finem imponere. Quod re vera factum esse, Dinterus (I, p. 4)[1]) comprobari existimat „libelli" vocabulo usurpato, quo singulas epistolas appellari posse negat. Sed fugit virum doctum, ab ipso Ovidio non semel hoc verbo

[1]) B. Dinter: De Ov. ex P. libris comm. I. Grimma 1858, II. 1865.

epistolae notionem exprimi, velut Heroid XI, 1. XVI (XVII) 143. Fortasse multo plus valent, quae leguntur III, 9, 7:

Ipse ego **librorum** video delicta meorum —

Nam librorum nomen epistolis vix dari posse crediderim. Sed quis scit, an poëta hic non de solis Ponticis libris, sed omnino de carminibus suis, quorum vitia non ignoret loquatur?

Attamen, quod verborum interpretatione evinci non potest, id ipsa res clamat. Nam cum appareat, singulos libros non eam habere formam, quam Ovidius in reliquis carminum corporibus per se editis adhibuit, duas autem epistolas alteram primo, alteram ultimo loco positam, omni ex parte idoneas esse, quae prooemii epilogique vice fungantur, iam nil relinquitur, nisi ut una tres libros editos esse statuamus.

Quae sententia comprobatur alia quoque ratione a Bruti amici persona, cui utraque epistola missa est, petita. De quo iam disputemus, quam maxime fieri poterit, et breviter et plene. Neque deerit venia, si re ipsa coacti, a temporum quaestione paululum recedere videbimur.

Primum igitur accita libri quarti quoque epistola sexta ad eundem missa, indagemus, qualem fere huius viri imaginem ex ipsius Ovidii verbis possimus nobis describere. Multum in forensibus negotiis et accusatorem et patronum fuisse eum occupatum, versibus 29—38 exponitur. Neque tamen strenuo illo animo, quo in his rebus opus erat, humanitatem misericordiamque eius imminutam esse, maxime celebratur (v. 27 sq., 39 sq.) Plura autem de amicitia, qua cum Ovidio coniunctus erat, proferuntur. Quae et per longum tempus mansit, et rebus adversis adeo non imminuta est, ut etiam magis confirmaretur (v. 21 sqq.) Nullo tamen tempore melius cognita est, quam quo poëta patriam relinquere cogebatur (v. 25 sq., 41 sq.). — Haec de Bruto disertis verbis proferuntur. Neque tamen minoris momenti est totius epistolae argumentum[1]), quod eis, quae poëta de se ipso et de amico dicit, absconditur magis, quam promitur. Nam

[1]) Cfr. huius disputationis p. 14 sqq.

quae leguntur usque ad versum 16, quibus queritur poëta, quod nullum sibi adhuc auxilium latum, quin etiam is, in quem summam salutis spem posuisset, adiutor sibi ereptus sit, non magis ad ipsum argumentum pertinent, quam quae inde a versu 24 de Bruti fide ceterisque virtutibus et de grato erga fidos amicos animo suo poëta profitetur. Ipsum argumentum, ex quo, cur hoc ipso tempore haec ipsa epistola orta sit, cognoscimus, continetur versibus 17 sqq.:

Quale tamen potui, de caelite, Brute, recenti
Vestra procul positus carmen in ora dedi.
Quae prosit pietas utinam mihi, sitque malorum
Iam modus, et sacrae mitior ira domus!
Te quoque idem liquido possum iurare precari,
O mihi non dubia cognite, Brute nota!

Exponit poëta, quae nunc sibi sola veniae impetrandae via relicta videretur, eam se cupide ingressum esse, scilicet ut defuncti imperatoris laudibus successoris animum leniret. Qua in re cum ipse summam spem ponit, tum amici voluntatem expetit. Nam quod de cognito sibi Bruti animo dicit, idcirco hoc loco additum est, ut quo iure eum operi suo favere sibi persuaserit, appareat. Quid? Nonne non solum rationem et tempus epistolae, sed etiam causam, cur ad ipsum Brutum missa sit, in argumento eius agnoscimus? Ergo Ovidii multum intererat, ut carmen a se de Augusto inter deos recepto compositum Bruto probaret. Qui quomodo potuerit de eo mereri neque dicitur, neque hoc loco coniectando erui potest. Id autem apertissimum est, carminum Ovidianorum Bruto curam non defuisse. — Quod epistolis I, 1 et III, 9 eiusdem nomine inscriptis confirmatur. Primum priore epistola nil fere agitur, nisi ut, quo iure poëta denuo carmina Romam mittat, exponatur. Nam ea minimum carminis parte, quae pertinet usque ad versum 58, poëta id tantum ostendere conatur, non temere se petiisse v. 3 sq.:

Si vacat, hospitio peregrinos, Brute, libellos
Excipe, dumque aliquo, quolibet abde loco.

Apparet, eum fuisse Brutum, qui de carminum salute efficacem quandam posset habere curam. Neque solum potuisse eum de ingenio Ovidii mereri, sed re vera meritum esse, e tertii libri epistola nona cognoscimus. Respondet enim poëta ad Bruti epistolam, qua ille aequabilitatem sententiarum in carminibus eius maxime reprehendi nuntiaverat. Tum operis vitia scribendi condicione excusantur. His ad Brutum scriptis, iam accuratius cognoscimus eum, qui Romae curam impenderet, ne exsulis poëtae opera fugerent hominum incuriam, neve oblivione obruerentur.

Adumbrata autem Bruti imagine, qualis e tribus epistolis evadit, quaerendum est, num virum aliquem e temporum illorum memoria notum possimus recognoscere. Ac Dinterus quidem, quamquam in priore, quae est de epistolis „ex Ponto" commentatione, Brutum, Ovidii amicum aliunde non notum esse contenderat (p. 2), postea (com. II, p. 2) Woelffelium (p. 2187 sq.) secutus ad certum aliquem virum illa aetate nobilem has epistolas pertinere sibi persuasit. Quam sententiam, a qua Lorentzii[1]) quoque tota disputatio pendet, Graeberus improbare videtur, quippe qui in quaestionum Ovidianarum parte adhuc edita, quae est de Ovidii fautoribus nobili loco natis Brutum non attigerit. Illi autem M. Iunium Silanum intellegunt, de quo, quae tradita sunt, Mommsenus composuit[2]). Fuit consul anno 768/15 p. Chr., primo Tiberianae dominationis tempore. Neque eo solo indicio perspicitur, quantum apud hunc imperatorem valuerit. Nam et frater, qui propter adulterium cum Iulia minore commissum urbe carebat, eius maxime gratia restitutus (Tac. Ann. III, 24), et filia C. Caesari Tiberii successori in matrimonium data est. Cui tamen tam periculosa potentia eius visa est, ut regno potitus eum tolleret (Suet. Gai. 23, Tac. Agr. 4). His si adicimus eloquentiae laudem, totam viri indolem optime a Tacito expressam statuemus verbis: „— qui

---

[1]) l. c. p. 38 sqq.

[2]) Ephemeris Epigr. I, p. 60 sq.

per insignem nobilitatem et eloquentiam praecellebat." (Ann. III, 24). — Cum his autem, quae de M. Iunio Silano nota sunt, ea quae de Bruto colligi possunt, minima tantum ex parte congruunt. Quamquam eloquentia in utroque insignis fuit. Sed quot oratores Roma illa aetate tulit! Rationem autem aliquam intercessisse inter Ovidii culpam scelusque inter M. Silani fratrem Iuliamque commune, ita ut perspiceretur, cur Ovidius hunc ipsum virum non antea quam Augustus mortuus esset, adiisset, temere Woelffelius (p. 2188) ad sententiam suam confirmandam protulit. Nam nemo unquam de Ovidii culpa tam certum indicium facere poterit, ut inde coniectando longius procedere liceat[1]). Neque magis Lorentzio, qui (p. 38 sq.) maiore opera Woelffelii sententiam defendere suscepit, idoneas rationes indagare contigit. Vide, quae de Bruto affert: „... eum intima familiaritate cum Augusti domo coniunctum fuisse multumque apud illum valuisse, manifestum est. Id enim satis apparet ex sono et modo, quo Ovidius in epistolis ad hunc amicum scriptis .... de imperatore et gente Iulia dicit." Soni autem et modi illius exemplum manifestissimum existimat esse vv. I, 1, 45 sqq.:

En, ego pro sistro Phrygiique foramine buxi
Gentis Iuleae nomina sancta fero.
Vaticinar moneoque, locum date sacra ferenti!
Non mihi, sed magno poscitur ille deo.

Sed primum ubicunque Augusti gentisque Iuliae mentio fit, talia leguntur, tum in hac ipsa epistola suum locum habent, cum poëta ostendere velit, quo iure benevolentiam libris suis exposcat. Familaritatis autem, quae intercesserit inter Brutum nostrum et Augusti domum, in epistolis equidem nullum invenio vestigium. Nam in duabus prioribus plane desiderantur preces illae, quibus Ovidius Fabium Maximum, Messalinum aliosque nobiles amicos fatigavit, ut Augusti clementiam im-

---

[1]) Dissertationem nuper Lipsiae editam: E. Appel: „Quibus de causis Ovidius ab Augusto relegatus sit" inspicere mihi non obvenit.

plorarent. Unde apparet, Brutum tam quidem non eum in re publica locum tenuisse, ut nobilitate et favore facile aliquid posset ab Augusto impetrare. — Plus eum apud Tiberium valuisse Lorentzius collegit e libri quarti epistola sexta, ubi legitur v. 19 sqq.:

Quae prosit pietas utinam mihi, sitque malorum
Iam modus, et sacrae mitior ira domus.
Te quoque idem liquido possum iurare precari,
O mihi non dubia cognite, Brute, nota!

Quae tamen eius sententia inde orta videtur, quod lectione aliqua usus est, quae a quonam profecta sit nescio. Legit enim v. 19:

Te quoque iam liquido possum iuvare precari,

— — — — — —

Si haec in codicibus legerentur, is sane esset locus, ut possemus eum pro ratiocinandi fundamento habere. Librorum autem scripturam si retinemus, „precari" nil significat, nisi „deos invocare". Scilicet poëta non dubitat, quin amicus idem cupidissime exoptet, quod ipse carmine illo in honorem mortui imperatoris compositi consecuturum se sperat. De Tiberio autem precibus adeundo nil dicitur, neque quidquam colligi potest de auctoritate, qua Brutus apud principem floruerit. —

Quominus autem M. Iunium Silanum his peti existimemus, eo maxime impedimur, quod hunc virum Bruti cognomine insignitum fuisse nusquam traditur. Neque mihi quidem cum Lorentzio et Woelffelio (p. 2187) probabitur, propter litterarum studia quemquam Tiberii amicum eius viri nomen velut ornamentum sibi addi passum esse, cuius memoria principi tam invisa erat, ut ne imago quidem in funere sororis ferretur. (Tac. Ann. III, 76). Sin autem suo periculo poëta Silanum hoc cognomine ornavisset, minime ei gratum facturum fuisse crediderim. Contra, si concedamus, Silanum ita propter studiorum elegantiam appellatum esse, nullo modo ponere licet, Ovidium eam rem neglecturum fuisse, in quo laudandi adulandique latissima area pateret. Occasio autem aptissima tum oblata erat, cum ipse

ille „doctus Brutus" commemoraretur (I, 1, 24), cuius nomen Silano datum esse illi contendunt. Attamen in transcursu tantum eius mentio fit. Silanum igitur frustra a viris doctis vexatum esse statuendum est.

Quae cum ita sint, in eis nobis acquiescendum est, quae ipse Ovidius de Bruto tradidit. Quae paucissima his possumus complecti: Fuit vir eloquentia insignis et in negotiis forensibus multum versatus, qui tamen a re publica gerenda videtur fuisse alienus. Cum Ovidio diutina artissimaque amicitia erat coniunctus, ita ut, qua erat animi lenitudine, re adversa incidente paene aeque perturbaretur, atque ipse poëta. Nec tamen amore eius se abdicavit, immo etiam magis confirmatus est. Maxime autem ingenio exsulis poëtae favit, ita ut is et partem carminum, quae ad nos pervenerunt, ei mitteret, et aliud carmen de Augusto mortuo compositum propria epistola ei commendaret et ab illo certior fieret, quonam modo carmina sua Romae ab hominibus reciperentur. Quin Brutus re vera appellatus sit, dubitari non potest, quamquam dolendum est, quod ceteroquin e rerum memoria plane exstinctus est.

Una autem restat via, qua progressi fortasse paulo plura de hoc viro poterimus cognoscere. Nam si eidem e Tristium quoque libris carmina nonnulla missa esse idoneis argumentis ostendi poterit, quae ex his nacti erimus, ad ea, quae e libris Ponticis didicimus confirmanda, ut cautissime adhibenda, ita non plane inutilia erunt. Praeterea operae pretium est, quaestionem, quae est de amicorum in Ovidii Tristibus personis a Lorentzio nuper institutam, in ea parte retractare, quae praeter ceteras neque spes habet exiguas, neque plane a Lorentzio videtur esse absoluta.

Inveniuntur autem passim in Tristium libris carmina ad fidelissimum amicum missa, quibus paene non agitur, nisi de carminibus diversis temporibus compositis, de ingenio poëtae longis laboribus imminuto, de hominum studiis, quibus exulis poëtae carmina excipiantur. — Initium faciamus ab eis, de quibus certius iudicari potest, ita ut ad ceteras auctis ratiocinandi

copiis possimus accedere. E quibus prima occurrit libri tertii epistola decima quarta, de qua, quae a viris doctis sententiae prolatae sint examinemus. Ac Merkelius quidem in Tristium editione (p. 217) ad C. Iulium Hyginum grammaticum celeberrimum eam missam esse suspicatur, quem Ovidio amicissimum fuisse Suetonio teste novimus (de ill. gram. 20). Prima autem ratio eius, quae petita est a virorum doctorum consuetudine a poëta desiderata (v. 43 sq.), sane aliquid valeret, si poëta eis verbis usus esset, quae possent ad certum aliquem amicum referri. Nunc autem non intellegimus, qui potuerit poëta, quae ad singulum amicum spectent, verbis tam incertis et communibus significare. Quid? Si tot verbis (v. 1—16) de amicitia ingenio suo ab illo praestita egit, cur nullum eum apertam mentionem fecisse statuamus eius auxilii, quod amicum grammatica doctrina imbutum in carminibus componendis ei tulisse a Merkelio ponitur? — Neque plus altera ratio valet, qua Merkelius verbis: v. 1

Cultor et antisthes doctorum sancte virorum,

— — — — —

bibliothecae praefectum significari sibi persuasit. Nam quid indicatum voluerit poëta his verbis versus septimus docet: „. . . vatum studiose novorum.“ Solo autem artis poëticae studio bibliothecae praefectum agnoscere non possumus. Neque minus obstat, quominus ad C. Iulium Hyginum deferamur, quod epistola ei missa in libris Ponticis non invenitur. At quaestionibus de amicorum personis adhuc institutis, licet multis dubitationibus obnoxiae sint, id saltem apparuit, eosdem fere viros in Tristium carminibus latenter significari, qui epistolis Ponticis aperte appellantur. Ceterum Merkelii sententia optime refelletur, altera, quae certioribus argumentis nititur, in locum eius substituta.

Schulzio autem, qui (p. 11 nota) ad Fabium Maximum hanc epistolam missam esse contendit, etiam fortius adversari debemus. Humilem enim animum, quo Ovidius erga nobilissimos amicos usus sit, in primis huius carminis versibus cum illo equidem non recognosco. Immo, quod poëta de se ab amico

celebrato dicit (v. 3), non spectat ad virum aetate ei parem, nobilitate multo superiorem, qualis Fabius fuit. Ac re vera Ovidius, cum dicit de ea amicitia, qua cum Fabio coniunctus erat, verbis plane contrariis utitur eis, quae hic inveniuntur cf. ex. P. I, 2, 131:

Ille ego sum, qui te colui . . . . .

Pro librorum autem commendatione, quae hac epistola continetur, in omnibus epistolis, quas ad Fabium missas esse constat, preces occurrunt cupidissimae, quibus poëta amici studium in restitutionis suae causam conferre nititur. Quamobrem in hoc carmine neque de Fabio, neque omnino de viro aliquo nobili loco nato et auctoritate publica insigni cogitari potest. — Paulo plura ad Cottae imaginem in epistolis Ponticis satis accurate descriptam videntur posse applicari. Imprimis ea sententia, quae expressa est vv. 3 sq:

Ecquid, ut incolumem quondam celebrare solebas,
Nunc quoque, ne videar totus obesse, caves?

plane eadem, sed fusius exposita, recurrit in epistola ex P. III, 5 Cottae nomine inscripta vv. 37 sqq. Sed si legimus quattuor illas epistolas, quae, quin ad hunc amicum pertineant, dubium non est, (II, 3, II, 8, III, 2, III, 5,) colorem deprehendimus plane diversum ab eo, quo carmen Trist. III, 14 notatum est. Nam excepta epistola ex P. II, 8, cuius argumentum e singulari aliqua condicione natum est, semper poëta plurimus est in generis nobilitate, patris erga se amicitia, insignibus denique ipsius Cottae erga se meritis celebrandis; semper amicus amicum, non poëta artis cultorem alloquitur. Quod non minus valet de ea Tristium epistola, quae satis probabiliter ad Cottam refertur (IV, 5)[1]. Hic quoque satis aperte significatur, quo tempore quoque modo amicus de poëta meritus sit, (v. 3—8), hic quoque familia eius commemoratur. Quae si consideramus, alienum ab hoc genere epistolarum Tristium carmen III, 14 esse statuemus, quamquam, quae est quaestionis natura, sensu magis, quam ratione ducimur.

[1]) cf. Lorentz p. 11.

Missis igitur his viris, iam quae sit eius amici, qui epistolam illam accepit, imago exponamus: Fuit vir non nobilitate, sed artis poëticae amore poëtarumque amicitiis insignis. Neque dubium est, quin is esset, qui posset utilem curam de absentis poëtae libris habere. Quo Ovidius commotus est, ut Tristium librum tertium, cui carmine decimo quarto finem imponit, ei mitteret, edendi propagendique, ut videtur, curam ad eum transferre non veritus. Nam vss. 25 sq:

Hoc quoque nescio quid nostris appone libellis,
Diverso missum quod tibi ab orbe venit

non de una epistola, sed de toto libro intellegendas esse, eo evincitur, quod poëta ea „libelli" vitia excusat, quibus omnia carmina exilii tempore composita laborare eum non fugit (v. 29 sqq.). Paene autem nullo vocabulo non Brutum cognoscimus. Eadem fidei mentio, eadem librorum commendatio, idem vitia eorum excusandi studium invenitur, idem denique officium, quod in prima librorum ex Ponto epistola, hic quoque amico mandatur. Quamquam dubitatio fortasse inde existere potest, quod eloquentia et negotia forensia, in quibus Brutum plurimum versatum esse ex epistola ex P. IV, 6 cognovimus, non commemorantur. Sed in epistolis quoque ex P. I, 1 et III, 9 de hac re altum silentium. Quomobrem paene certam esse iudico Kochii[1]) et Lorentzii[2]) sententiam, qui ad Brutum hanc epistolam missam esse contenderunt. —

Neque minus recte Lorentzius[3]) iudicasse videtur, cum ab hoc carmine profectus, ad eundem virum datam esse conclusit libri primi epistolam septimam, quae tenoris, coloris argumenti similitudine quam proxime ad illud accedit. Nobilitatis hic quoque nulla fit mentio, fides primis quattuor versibus summopere effertur. Cetera autem carminis pars tota versatur in Metamorphoseon libris, quos poëta nondum satis perfectos et

---

[1]) Koch: Prosopographiae Ovidianae elementa. Diss. Breslau 1825. p. 4 Anm.

[2]) Lorentz l. e. p. 42 sq.

[3]) Lorentz p. 43 sq.

expolitos reliquerat, commendandis excusandisque. Denique epigramma quoddam adicitur, quod in fronte illius operis poëta scriptum vult (v. 35 sqq) Talia autem ad hunc maxime amicum scripta esse apparet, quod is et potuit et voluit curam impendere, ne exsulis poëtae gloria evanesceret. Quod officium cum iam ter viderimus ad Brutum delatum esse, hic quoque Bruti personam significari confidemus.

Hucusque Lorentzius ratiocinando progressus est. Sed fortasse aliud quoque carmen, de quo ille iudicium facere non ausus est[1]), idoneum est, de quo hoc loco quaeramus. Libri quinti carmen septimum dico, cuius initio quae leguntur v. 7 sq:

Si tibi contigerit cum dulci vita salute,
Candida fortunae pars manet una meae.

non dici posse, nisi coniunctissimo cuique patet. Quem ad cognoscendum multi momenti sunt, quae dicit poëta v. 25 sq:

Carmina quod pleno saltari nostra theatro,
Versibus et plaudi scribis, amice, meis,
— — — — — e. q. s.

Nam spectant ad epistolam ab amico acceptam; qua ille poëtae nuntiavisse videtur, Medeam tragoediam, quam ab Ovidio compositam esse scimus[2]), multo cum populi plausu in theatro actam esse. Novimus autem, Brutum eum fuisse, qui hominum erga exsulis poëtae carmina voluntatem indagaret renuntiaretque amico, qua ex parte placeret displiceretve (ex P. III, 9). Neque in hac epistola omisit poëta, quod adversus Brutum semper ab eo factum esse animadvertimus, scilicet ut carminum suorum, quae tum componeret, rationem, causam, condicionem explicaret (v. 29—42). Quin etiam ut in epistola Trist. III, 14 (v. 49 sq.), ita hic quoque (v. 57—60) sermonem suum parum excultum linguae Latinae desuetudine excusat. Quibus de causis hac quoque epistola poëta Brutum videtur esse allocutus.

Denique eiusdem libri carmen duodecimum omittere non licet. Exponit poëta amico, qui ut scribendo dolores levaret

[1]) p. 49.
[2]) cfr. Tac. dial. 12.

suaserat, quibus de causis et rariora et deteriora iam carmina componat. Invenimus autem, cum Bruto maxime eum colocutum esse de carminum suorum indole et vitiis. Sed cum desit intimae amicitiae indicium, quod in Bruto omissum esse non nimis credibile est, certum iudicium facere nolim[1]).

Quaecunque autem ex his epistolis addisci possunt, eo tutius ad Brutum referuntur, quo imago eius ex epistolis Ponticis adumbrata, accuratius tantum exprimitur, non novis lineis amplificatur. Semper autem eum agnoscimus, qui per totum exilii tempus omnem operam eo contulit, ut gloria poëtae, quanta praesenti fuit, exuli servaretur.

Iam revertentibus nobis ad Ponticas epistolas, quae sit carminis I, 1 natura, non potest dubium esse. Scilicet id Bruto committitur, ut carmina Romam missa velut hospes recipiat et in ora hominum perducat. Neque minus, quid sibi velit epistola III, 9 apertum est. Fingit sibi poëta lectores modo totius operis lectione fructos. Qui cum ne in vitiis quibusdam carminum suorum offenderint, metuat, hanc occasionem arripit, ut gratiam eorum non excusando defendendove, sed ingenii sui imbecillitatem ingenue fatendo sibi reconciliet. Cur autem Brutum elegit, quocum ea communicaret, quae ad omnes lectores pertinent? Quod hic ipse, quippe cui traditur opus, primus lecturus erat, primusque, quae minus placerent animadversurus. Excusationem autem illam cum poëta neque in primi neque in secundi libri fine susceperit, semel autem suscepta, Brutum aptum iudicaverit, cui velut reus patrono causam suam committeret, tum demum „libellos" illos absolutos esse conicimus, quibus epistola I, 1 eidem Bruto missa velut caput exordiumque praemittitur.

Quae tamen sententia etiam e difficultate quadam expedienda est, priusquam satis stabilita videatur. Quid enim

---

[1]) Neque inepte Kochius (p. 10) videtur mihi cogitasse de Rufino, cuius iudicium Ovidius plurimi aestimavit (cf. ex P. III, 4), amorem non aeque ac Bruti videtur habuisse comparatum.

iudicandum est de obtrectatoris studio a Bruto poëtae nuntiato: III, 9, 1 sq.:

Quod sit in his eadem sententia, Brute, libellis,
Carmina nescio quem carpere nostra refers . . .?

Nonne his apparet, partem aliquam carminum iam in publicum exiisse, ita ut et inimicorum obtrectationibus et amicorum studiis possent agitari, antequam totum opus ederetur? Paene iam eo refugiendum videtur, ut rationum supra expositarum immemores, tres priores libros singulos in ora hominum venisse statuamus. Sed perverse! Nam difficultas hac ratione minime tollitur. Si enim „his libellis" obtrectatorem nocuisse dicit, tertium quoque librum sine dubio tum demum editum una cum duobus prioribus complectitur. Quo igitur nos vertamus? Num fictum esse nuntium illum a Bruto acceptum existimemus? At epistolae argumento poëtam non ad eam fictionem deduci oportuit. An non de Ponticis epistolis, sed de Tristibus ceterisque libris priore exilii tempore editis invidum illum maligne iudicasse, credamus? At „in his libellis", nempe quos poëta etiamtum in manibus habet, vitia illa offensioni fuisse comperimus. Quamobrem, cum neque singulos libros per se editos esse credibile sit, neque de aliis nisi de Ponticis epistolis agi appareat, id solum relinquitur, ut singulas epistolas, antequam librorum corpora ederentur, non plane in scriniis eorum, ad quos datae erant, latuisse statuamus. Quamquam priusquam omnes coniunctas ederet, poëta sine dubio veniam amicorum sibi comparavit. Nam hi soli, qui Romae erant, scire poterant, num illud iam fieri posset sine imperatoris offensione. Quam veniam non ab omnibus concessam esse ex epistola III, 6 cognoscimus. Sed non tum primum, cum libri ederentur, singula carmina in manus amicorum pervenisse, Dinterus[1]) duabus rationibus comprobavit. Primum ea sunt nonnullorum argumenta, ut non ex universo scribendi studio, sed e certa aliqua causa atque occasione ea orta perspiciatur (praesertim

[1]) Dinter com. I. p. 4 sq.

carminum II, 9, I, 3, I, 9, II, 6, II, 8, III, 4, III, 8), tum versus III, 9, 51 sqq.:

Nec liber ut fieret, sed uti sua cuique daretur
Littera, propositum curaque nostra fuit.
Postmodo collectas, utcunque sine ordine, iunxi:
Hoc opus electum ne mihi forte putes.

ita tantum intellegi possunt, ut operam datam esse a poëta ponamus, nequem amicum epistolae honore ornare oblivisceretur. Neque operae pretium est refutare ullam earum rationum, quibus Woelffelius (p. 2060 sq.) nunquam singulas epistolas amicis missas esse ostendisse sibi visus est. Quod si probaremus, iure dubitationem relictam existimaremus, num possent esse tres priores libri coniunctim editi. Quod autem dicitur: „Nec **liber** ut fieret . . ." retinere nos non debet. Nam poëta hoc loco eius temporis operam describit, quo nesciebat, utrum unum, an plures libros talibus carminibus confecturus esset.

Iam satis comprobatum existimo, epistolas Ponticas in librorum corpus coactas non in publicum prodiisse, antequam omnes trium priorum librorum epistolae perfectae essent, licet singulae, quae ad amicos missae erant, Romae iam innotuissent. Tres igitur libri priores una tractandi erunt.

Quo cognito novam aliquam quaestionis normam adipiscimur, quae sane digna est, propter quam tantis ambagibus ab ipsa temporum inquisitione recesserimus. Nempe cum epistolis I, 1 et III, 9 tres simul libri in publicum emittantur, quaecunque in eis poëta de carminibus suis profitetur, non solum de tertio libro[1]), sed de omnibus epistolis dicta esse apparet, quaecunque tribus libris continentur. Agitur autem de uno versu sed eo gravissimo, quem supra iam perscripsimus III, 9, 53:

Postmodo collectas utcunque **sine ordine** iunxi.

— — — — —

Illud enim „sine ordine" quid sibi velit, accuratissime in-

[1]) Ut censent Woelffelius p. 2063. Brandes. p. 351.

quirendum est, ne aut minore, quam decet, vi ei data, infirmis fundamentis ratiocinationem substruamus, aut nimium ponderis inesse rati, omnino de quaestione nostra desperemus. Nam primo iam obtutu sentimus, quanto his verbis praesidio privemur, quo in Tristium libris confidenter usi eramus. Temporum scilicet ordinem, qui quin ibi in universum servatus esset, dubium non erat, in his quoque libris non disturbatum esse, statuere verbis illis vetamur. Qua de re, cum excepto Brandesio omnes viri docti, ea ita usi sint, ut suam de epistolarum temporibus sententiam magna aliqua difficultate liberarent, pluribus disputare non supersedemus. Apparebit autem, illos, quamvis nimiam inde sibi licentiam sumerent, tamen totam indicii illius vim haudquaquam plane perspexisse.

Primum temporum ordo, quem solum labefieri paene consentitur, aliquatenus servatum esse, efficitur ratione quadam, quam Schulzius (p. 23 sqq.) primus adhibuit, neque tamen, ut debebat, persecutus est. Nempe cum singulis amicis complures epistolae missae sint, nonnunquam discernere possumus, quae priore, quaeque posteriore tempore ad eundem data sit. Quamquam ad Cottam primam omnium epistolam III, 5 missam esse, certo cognosci, nolim Schulzio (p. 25) concedere. Certum autem iudicium fieri potest de his:

Epistola I, 3 poëta Rufino amplissimas gratias agit, quod solandi munus litteris susceperit. Eidem missa est epistola III, 4 qua Ovidius carmen a se de Tiberii triumpho compositum commendat. Cum autem et carminis huius et ipsius triumphi, ad quem saepius redit poëta in libro secundo et tertio, nulla mentio fiat in priore epistola Rufini nomine inscripta, eam non solum loco, sed etiam tempore alteri antecedere verisimillimum est.

Idem facili opera in epistola I, 6 adipiscimur. Quam primam esse, qua omnino exul poëta Graecinum veterem amicum allocutus sit, omnes consentiunt[1]. Nam etiamtum certior fieri

---

[1] cf. Graeber p. XXIII.

vult, quae sit Graecini erga se voluntas (v. 1—4). Ergo haec quoque ante epistolam II, 6 eidem missam composita est.

Neque minus recte epistolam I, 7 prius ad Messallinum missam esse, quam epistolam II, 2, Schulzius (p. 25) iam vidit. Illa enim nobilissimi viri favorem sibi conciliare, hac iam comparatum in suum usum convertere poëta studet.

Denique epistolam I, 2 Fabio Maximo missam esse ante epistolam III, 3 simili ratione Schulzius (p. 24) ostendit. Praeterea et haec duo carmina, et ea, quibus Messallinus petitur, eo differunt, quod in altero Tiberii triumphus nondum commemoratur, in altero magna argumenti pars ad eum spectat.

Haec brevissime de quattuor his epistolarum paribus monenda erant: singularum tempora postea difinientur. Cognoscimus autem, quaecunque epistola posteriore tempore composita esset, eam posteriori quoque libro insertam esse. Et re vera, si aliter poëta rem instituisset, quam maxime mirandum esset. Nam haec carmina temporum indicia tam aperta in ore ferunt, ut ne potuerit quidem ea inverso ordine edere, nisi eum inepto quodam disturbandi studio indulsisse existimamus.

Quod si consideramus, dubium non est, quomodo iudicemus de eis duobus locis, qui soli in his tribus libris temporis indicium praebent annorum numeris expressum. Sunt autem hi I, 2, 27 sq.:

Hic me pugnantem cum frigore cumque sagittis
Cumque meo fato quarta fatigat hiems.

et I, 8, 27 sq.:

Ut careo vobis, Stygias detrusus in oras,
Quattuor autumnos Pleias orta facit.

Priore loco hiemem annorum 12/13 significari omnes consentiunt. Quid autem Loersius de hoc loco indicaturus fuerit, si quaestione sua etiam ad Ponticas epistolas progressus esset, nescio. Nam cum Ovidium exeunte anno 9 ex Italia profectum, vere demum anni 10/763 Tomos pervenisse censuisset, quartam hiemem annis demum 13/14 in Scythia Ovidio tolerandam fuisse ei statuendum erat. At hoc tempore poëtam etiam in primis

quarti libri epistolis scribendis occupatum fuisse, et triumphum a Tiberio actum esse iam pridem novisse, postea videbimus. Cuius diei festi in posteriore demum epistola eidem Fabio, adquem haec data est, mentionem fieri, modo diximus.

Commoremur autem etiam paululum in hoc loco necesse est. Nam hic demum plane perfici potest disputatio illa, qua supra in prima huius opusculi parte iam ad summam verisimilitudinem perductum est, poëtam eadem etiam hieme, qua Italiam reliquit, Tomos pervenisse. Nam inde ab hieme annorum 9/10 hoc loco id temporis spatium computari, quod poëta in ipsa Scythia degit, apertum est.

Accedamus ad alterum eorum locorum, quos modo attulimus de quo viri docti minus consentiunt. Brandesius enim (p. 350, Hiems IV) autumnum anni 13/766 intellegit, ceteri omnes eo deducuntur, ut quartum autumnum non post, sed ante quartam exilii hiemem a poëta visum esse contendant, ita ut ad annum 12/765 epistola I, 8 referenda sit. Maxime autem mirum est, quod Massonus (ad ann. XII, II) quoque idem sibi persuasit, quamquam in carmine Trist. IV, 6 secundum exilii autumnum ipse anno 11/764 attribuit. Sed duae rationes, quibus illorum sententiam refutemus, in promptu sunt.

Alteram modo maiore opera nobis comparavimus. Etenim non solum omnino probabile visum est, poëtam in eis epistolis temporum ordinem non disturbavisse, in quibus, quae antea, quaeque postea nata sit, primo statim obtutu cognosceretur, sed etiam re vera id diligenter ab eo evitatum esse, quattuor exemplis probatum est, in quibus quae inter binas epistolas ratio intercederet, facile perspici poterat. Quod argumentum nonne multo magis pertinet ad libri primi epistolas illas duas, quae quo ordine se excipiant, non argumentandi opera conicitur, sed numeris aperte indicatur? — Neque minus ponderis habet alterum argumentum, cuius Massonus alio loco (cfr. ad ann. XI) ab ipso probati hic plane oblitus est. Nam si supra in carmine Trist. IV, 6 non potuimus exilii autumnos numerare inde ab autumno anni 9/762, idem hoc loco etiam multo minus per-

mittitur. Ex eis enim, quae Idlerus[1]) exposuit, cognoscimus, a poëta ex P. I, 8, 28 significari eum diem, quo Pleïades vespere oriuntur, quod fit Idlero teste a. d. VII Cal. Oct. Quo anni 9/762 tempore poëtam nondum patria amicorumque consuetudine caruisse certissimum est. Quamobrem recte Brandesius autumnum anni 13/766 intellexit.[2]) Quamquam non intellego, quo iure potuerit nihilominus contendere, nullum temporis intervallum intercedere inter Tristium Ponticarumque epistolarum libros editos.[3]) Nam ex ipsius quidem ratione, qua hieme annorum 11/12 quintum Tristium librum perfectum esse statuit, novem minimum menses intercedunt.

Hactenus de eis epistolis, in quibus temporum ordinem non disturbatum esse ostendi potest. De reliquis nil licet affirmemus, neque ullo modo locis tempora erui possunt. Unde quanta exoriatur difficultas, ne ab eis quidem satis intellegi existimo, quos nimiam sibi licentiam e versibus III, 9, 51 sq. sumpsisse, modo demonstrare conati sumus. Quibus, quamquam singulas epistolas ea, qua ad librorum corpora serie coniunctae sunt, ortas esse negant, tamen, quin omnes intra unius anni temporis spatium compositae sint, dubitari non posse, videtur constare. Sed quibusnam causis prohibemur, quominus e diversissimis temporibus has epistolas „utcunque collectas" esse suspicemur? Obici sane potest, priore exilii tempore non licuisse poëtae amicos aperte nominibus appellare. Certe noluerunt amici in libris in publicum editis nomina sua poni, (cfr. ex P. III, 6): sed, ut ipsi non dubitaverunt, poëtae epistolas Tomos mittere (cf. Trist. IV, 7), ita sine dubio inde a primo exilii tempore multas ab eo epistolas nominibus inscriptas acceperunt. Quod de Severo testatur Ovidius ex P. IV, 2, 5 sq.:

Orba tamen numeris cessavit epistola nunquam
  Ire per alternas officiosa vices. — —

---

[1]) **Idler:** Abh. d. Berl. Ak. Hist. Phil. Kl. 1822, p. 153.

[2]) De Severo, cui haec epistola data est, infra agetur.

[3]) „Schliessen sich unmittelbar an —" p. 350, Hiems III.

Atque hoc quidem loco agitur de litteris prosa oratione conscriptis, quae, cur solae ad Severum poëtam datae sint, amplius exponitur (v. 7 sqq.). Consentaneum autem est, eum ceteros quoque amicos, praesertim eos, qui publica auctoritate florerent, eodem modo adiisse, quo posset multo efficacius rem suam agere, quam timidis illis precibus Tristium carminibus insertis (cfr. Trist. IV, 4, 47 sqq. IV, 8, 51 sq.). At carmina additis amicorum nominibus tum ab eo missa esse, fortasse fortiter aliquis negaverit ea sola de causa, quod edendi facultas non data esset. Sed solam gloriam ab Ovidio carminibus petitam esse non recte statuitur. Etenim omnes fere amici, quorum nomina in epistolis Ponticis deprehendimus, ei sunt, qui aut ingenii Ovidiani summi fautores, aut etiam studii poëtici participes sese praestiterant. Quod paucis versibus de unoquoque adscriptis apparebit. Dicit enim poëta ad Fabium Maximum ex P. I, 2, 135 sqq.:

Cuius (sct.: mei) te solitum memini laudare libellos,
Exceptis, domino qui nocuere suo:
Cui tua nonnunquam miranti scripta legebas —

ad Messallinum II, 2, 105 sq.:

Ingenii certe, quo nos male sensimus usos,
Artibus exceptis, saepe probator eras.

ad Salanum II, 5, 63 sq.:

Tu quoque Pieridum studio, studiose, teneris,
Ingenioque faves, ingeniose, meo.

ad Cottam III, 5, 37 sq.:

Dic tamen, o iuvenis studiorum plene meorum,

e. q s., quibus adiungendus est versus epistolae IV, 16, 42, quo idem dicitur:

Pieridum lumen praesidiumque fori.

Neque minus aperte poëta, quibus vinculis cum Macro et Attico coniunctus fuerit, profitetur de altero II, 10, 11 sqq.:

. . . studiis, quibus es, quam nos, sapientias usus,
Utque decet, nulla factus es arte nocens,

Tu canis, aeterno quidquid restabat Homero
e. q. s.

de altero II, 4, 13 sqq.:

Saepe tuas venit factum modo carmen ad auris,
Et nova iudicio subdita Musa tuo est.

De Germanici autem studiis poëticis non solus Ovidius audiendus est. Porro de Bruto iam egimus, Graecinum, Cotyn regem, Severum aliis locis accuratius tractandos omittimus. Rufini quanta fuerit in talibus studiis et elegantia et auctoritas, inde cognoscimus, quod huic ipsi poëta carmen de Tiberii triumpho a se compositum tantopere commendat (III, 4.) Soli iam supersunt Flaccus, Graecini frater et Rufus uxoris Ovidii avunculus, qui utrum Musarum sacra coluerint, necne, diiudicari non potest. Sed alterum intima amicitia, (cf. I, 10, 15 sq. 30. 37 sq.) alterum simul fide et affinitate (cf. II, 11) adeo poëtae, coniunctum fuisse comperimus, ut ne hos quidem ingenii eius amore vacuos fuisse verisimile sit.

Quo autem munere poëta hoc viros magis delectare, quo animos eorum magis sibi conciliare, quo voluntatem auxilii ferendi magis refovere potuit, quam missis ingenii sui documentis, propter quae maxime eum dilexerant? Neque ulla est causa, cur nobis persuadeamus, priore exilii tempore nulla ab eo missa esse carmina nominibus amicorum insignita. Quod num re vera factum sit, postea quaeremus: fieri potuisse iam nunc apparet.

Haec igitur omnia respicienda sunt recte nobis intellegentibus plenam vim versuum III, 9, 51 sqq., a quibus in hac disputationis parte profecti sumus. Unde quid ad totam quaestionis rationem instituendam normae ac regulae desumendum sit, facile perspicitur. Non solum enim non poterimus, ut in Tristium libris, ad seriem carminum, quae tradita est, temporum quaestionem applicare, sed ne ea quidem venia relinquitur, ut terminis quibusdam, quibus tres priores epistolarum libri contineantur, constitutis, intra spatium hoc modo circumscriptum singula carmina distribuere satis habeamus. Immo in singulis

carminibus temporum indicia indaganda sunt. Quae si nulla inveniantur, res in medio relinquenda est. Iam igitur ad ipsum opus accingamur.

Possunt autem certa quaedam epistolarum genera discerni, exceptis carminibus I, 2, et I, 8 apertis temporum indiciis instructis, de quibus supra egimus.

Primi generis sunt ea carmina, de quibus, quamquam certus annus natalis non agnoscitur, tamen id constat, posteriore demum exilii tempore ea composita esse. — Ac duo quidem carmina Bruto missa toto demum opere perfecto addita esse, ipsa argumenta indicant, ita ut vix opus sit afferre versus I, 1:

Naso Tomitanae iam non novus incola terrae.

et 16 sq.:

Non minus hoc illo triste, quod ante dedi.
Rebus idem, titulo differt, et epistola cui sit
Non occultato nomine missa docet,

e quibus Tristium libros tum temporis iam editos fuisse cognoscimus. — Tum ex eis, quae in epistola I, 4 ad uxorem scribit, colligitur, eum iam per longius tempus exulem ab illa disiunctum fuisse. Nam et sui ipsius speciem adeo iam immutatam esse nuntiat, ut si illa eum revisat, vix recognitura sit v. 5 sqq.:

Nec si me subito videas, agnoscere possis:
Aetatis facta est tanta ruina meae

et illam de iuvene, qualem in urbe reliquisset, iam anum factam esse suspicatur v. 47, sq.:

Te quoque, quam iuvenem discedens urbe reliqui,
Credibile est nostris insenuisse malis.

Quamquam longam illam malorum seriem, qua illa facta sint, multitudine magis quam temporis spatio effici, profitetur v. 9 sq.:

Nam mea per longos siquis mala digeret annos,
Credo mihi, Pylio Nestore maior ero.

Porro in epistola nona, ad Maximum missa, qua Celsi mortem nuntiatam deflet, ita loquitur, ut eum iam diu Tomis

habitare, neque semel domo epistolas accepisse, statuendum sit v. 5 sq.:

Nec quicquam ad nostras pervenit acerbius aures,
Ut sumus in Ponto, perveniatque, precor!

In ultima denique primi libri epistola se continuis curis iam languescere, indicat v. 3 sq.:

Longus enim curis vitiatum corpus amaris
Non patitur vires languor habere suas.

eodemque modo, ut supra in epistola quarta faciem suam immutatam esse scribit v. 25 sq.:

Neque minus in secundo et tertio libro praeter triumphi commemorationem, de qua mox agetur, nonnulla eius modi indicia occurrunt. Velut ex epistolae tertiae versu 63.

Tum tua me primum solari epistola coepit.
e. q. s.

concludimus, Cottam, cui haec scribuntur, prima sceleris Ovidiani ira post aliquantum demum temporis deposita (cf. v. 61—66) iam dudum litteris missis solandi munus suscepisse.

Etiam apertius diutinam iam calamitatem poëtam expertum esse, ei epistolae septimae versus significant, quibus spem salutis a se iam depositam esse dicit. 17 sq.:

Iam mihi fata liquet coeptos servantia cursus
Per sibi consuetas semper itura vias,
e. q. s. cf. v. 35.

Non aeque autem certo poëta in sequente epistola posterius exilii tempus notat, cum, Caesaris imagine in nummo a Cotta transmisso aspecta, dicit: v. 11

An **tandem** redii, nec me tenet ultima tellus
e q. s. . . . ?

Quod carmen cum conderet, poëtam de Tiberii triumpho nondum certiorem factum fuisse, postea afferemus.

Paulo plus valent, quae in epistola decima ad Macrum data leguntur v. 5

An tibi notitiam **mora temporis** eripit horum,
Nec repetunt oculi signa vetusta tui?

Agitur enim de sigillo, quo epistola insignita erat.

Tertii libri epistolam quintam multo post relegationis tempus compositam esse, declarant versus 33 sq.

Namque ego, qui perii **iam pridem,** Maxime, vobis,
Ingenio nitor non periisse meo.

In sequente autem epistola occultato amici nomine missa, poëta respicit ad Tristium libros iam editos v. 45 sq.:

Ipse ego, quod primo scripsi sine nomine vobis,
Vix excusari posse mihi videor.

Denique epistola septima, quippe qua poëta de salute plane desperet, non potest esse missa nisi omnibus iam precibus apud amicos exhaustis.

Hae sunt epistolae, quas, quamquam certo alicui anno attribui non possunt, tamen posteriore demum exilii tempore compositas esse verisimillimum est. —

Secundo autem loco id genus in quaestionem venit, in quo triumphi Tiberiani mentio fit. Quem actum esse a. d. XVII Cal. Febr. constat,[1]) ita ut irrita cadant, quae Bucherius (cf. Massonum ad ann. XII, III.) Leutschius (p. 52.) de anni tempore, quo celebratus esset, coniecerunt. Utrum autem anni 12/765 vel anni 13/766 mense Ianuario Tiberius triumphaverit, magna adhuc fuit inter viros doctos disceptatio. Qui partim ea sententia, quam de triumphi anno sibi comparaverunt, usi sunt, ut carminum Ovidianorum tempora constituerent, ut Massonus (ad ann. XII, IV) et Graeberus (p. VIII.), partim Ovidii libris per certos annos distributis, inde triumphi annum eruere susceperunt, ut Meyerus (p. 460 sq.) et Brandesius (p. 359 sq.). Atque illorum quidem opera, quam vana esset, quippe quae fundamentis adeo dubiis niteretur, Schulzius (p. 20 sq.) contra Meyerum luculenter ostendit. Idem rectissime ut mihi quidem videtur, probavit (p. 20–24), quaestionem quae est de triumphi anno, Dionis, Vellei, Suetonii, denique nummi alicuius testimoniis nondum plane ad liquidum per-

---

[1]) C. I. L. I, 312.

ductam, Ovidio adiutore confici. Cum enim epistolam I, 2, quae pertinet ad hiemem annorum 12/13, ante epistolam III, 3 Fabio Maximo missam esse appareat, (cfr. supra), in hac autem demum triumphi mentio fiat, quam a poëta in priore epistola, si nuntium iam accepisset, omitti potuisse, incredibile est, non iam mense Ianuario anni 12/765, sed insequente demum anno triumphum actum esse consequitur.

Mentionem autem triumphi, quae in sex omnino epistolis deprehenditur, triplici ratione institui animadvertendum est. Aut enim poëta triumphi nuntium ad se perlatum esse dicit, ut II, 1, 1 sq.:

Huc quoque Caesarei pervenit fama triumphi

et II, 2, 77:

Adde triumphatos modo Paeonas . . . . .

aut propter publicam e triumpho ortam laetitiam aptum esse tempus veniae precibus impetrandae amicos uxoremve commonefacit, ut II, 2, 68:

Tempus adest aptum precibus . . . . .

et III, 1, 133 sqq.:

Cum status urbiserit, qualem nunc auguror esse,
Et nullus populi contrahet ora dolor:
Cum domus Augusti, Capitoli more colenda,
Laeta, quod est et sit, plenaque pacis erit:
Tum tibi, di faciant, adeundi copia fiat,
Profectura aliquid tum tua vota putes.[1])

et III, 3, 85 sq.:

Neve moram timeas, tempus quod quaerimus instat,
Cunctaque laetitiae plena triumphus habet.

aut denique carmen de hac re iam a se confectum Romamque missum amicis commendat, ut II, 5, 27 sqq.:

Nuper, ut huc magni pervenit fama triumphi,
Ausus sum tantae sumere molis opus. —

— — — — — —

[1]) Quae, quin Graeberus (p. VIII) recte de triumphi tempore intellexerit, non dubitari potest.

Qui si forte liber vestros pervenit ad aures,
Tutelam, mando, sentiat ille tuam.

et III, 4, 3 sq.:

Utque suo faveas, mandat, Rufine, triumpho,
In vestras venit si tamen ille manus.

Nuntium autem sero fama ad sé perlatum esse, profitetur: quo factum esse, ut carmen quoque illud sero ederetur. cf. III, 4, 57 sqq.:

Non ego cessavi, nec fecit inertia tardum:
Ultima me vasti sustinet ora freti.
Dum venit huc rumor, properataque carmina fiunt,
Factaque eunt ad vos, annus abisse potést.

Recte autem Schulzius (p. 21) Meyero (p. 460) adversatus ostendit, inde non consequi, poëtam post plenum demum annum de triumpho certiorem factum esse. Nam primum his verbis totum tempus significatur, quod intercedere poterat inter triumphum actum et carmen Romam missum. Tum ne eo quidem spatio re vera totum annum completum esse verisimile est. Ea enim ratione solemus nos excusare, ut ostendamus, eisdem condicionibus, quibus ipsi usi simus, etiam multo graviora peccata admitti posse.

Cum autem in altero carminum genere commemoretur tantummodo triumphus, in altero iam carmen de eo conditum esse praedicetur, non sine probabilitate conici potest, alterum alteri tempore antecedere. Nam carminis iam editi mentionem consulto omissam esse non verisimile est in epistola III, 3 ad Fabium et praesertim in epistola II, 1 ad Germanicum missa, qui quantus fuerit et ipse poëta et poëtarum cultor novimus. Quae autem in hoc carmine leguntur v. 63 sq.:

Hunc quoque carminibus referam fortasse triumphum,
Sufficiet nostris si modo vita malis.

quibus Germanici quoque triumphum a se celebratum iri profitetur poëta, ut Tiberii iam celebratus sit, non spectant ad singulare illud carmen postea Romam missum, sed ad brevem illam

triumphi descriptionem obliquae orationis forma huic ipsi epistolae insertam (v. 21 sqq.).

Sed Schulzius (p. 22 sqq.) hac ratiocinandi via longius, quam recte fieri potest, progressus est. Nam epistolas III, 1 et III, 3 quibus poëta uxorem Fabiumque adhortatur, ut tempore propter triumphum precibus aptissimo utantur, ante triumphum actum Romam missas esse contendit, sed eo tempore, quo triumphum actum iri iam certior factus esset. Nam cum de triumpho re vera celebrato sero demum nuntium accepisset, non potuit, Schulzii quidem sententia, tum demum talia illos admonere, ipsa exorandi imperatoris occasione iam praeterlapsa. Qua de causa Schulzius (p. 24) hunc epistolarum ordinem sibi confinxit: „. . . . elegias II, 1, II, 5, III, 4 non ante ver eiusdem (13/766) anni, paulo prius II, 2, ineunte Ianuario III, 3, mense Decembri I, 2 confectas esse consentaneum est." Sed totum eius aedificium diruitur his rationibus adhibitis:

Primum sane mirum esset, si, ut Schulzius proponit, poëta de triumpho agendo mature nuntium accepisset, de ipsa re, tantis vulgi, nobilium hominum, poëtarum studiis celebrata sero tantum, neque epistolis sed fama edoctus esset. Quod num silentio eum praetermissurum fuisse statuamus? — Tum argumentum a Schulzio allatum nihil valet. Nam poëtae quidem sententia etiam post nuntium acceptum tempus aptum fuisse precibus, elegia II, 2 docet[1]), inqua legitur v. 69:

Tempus adest aptum precibus . . .

quamquam triumphum iam actum esse declaratur verbis v. 77

Adde triumphatos modo Paeonas . . .

— — — — —

Videtur autem Schulzius maxime inductus esse instandi verbo: „. . . tempus quod quaerimus instat" (III, 3, 85). Sed non de futuro tempore hoc loco agi, iam satis inde apparet, quod dicitur v. 86:

Cunctaque laetitiae plena triumphus **habet.**

---

[2]) De qua quid sentiat Schulzius e verbis eius non plane perspicitur.

non „habebitur". Neque omnino sola imminendi notio significatur instandi voce[1]). Tota igitur haec temporis constituendi ratio ut vana relinquenda est.

Eis autem carminibus, quae propter triumphi mentionem post mensem Ianuarium anni 13/766 composita esse constat, id adiungamus, quod solum antea ortum esse confirmari potest. Carmen II, 8 dico, in quo cum haec vota pro Livia edantur v. 49:

Sic tibi mature, fraterni funeris ultor,
Purpureus niveis filius instet equis.

iure Graeberus statuit (p. VIII) triumphum Tiberio nondum obvenisse.

Sex igitur epistolis hoc alterum carminum genus constat, quas anno 13/766 iure attribuimus. Ceteras aeque, ac II, 8, ante triumphum compositas esse, solo silentio nondum probatur. Sed in eis quoque nonnullae inveniuntur, quae temporum indiciis non carent. Quarum partem iam supra attigimus, cum quae epistola prius, quae posterius ad eundem amicum data videretur, persequebamur. —

Prima autem occurrit epistola I, 3 Rufini nomine inscripta. Vide, qua ratione poëta exponat, quantopere epistola a Rufino accepta animo confirmatus sit v. 7:

Sic ego, mente iacens et acerbo saucius ictu,
Admonitu coepi fortior esse tuo.

Quae si mente non praeoccupata legimus, de eo tempore cogitemus necesse est, quo poëta a prima animi aegritudine paululum refectus est. Ipse enim indicat, pectora sua nondum plane sanata esse: quod non factum iri, nisi longo aliquo temporis spatio praeterlapso: cf. v. 15:

Tempore ducetur longo fortasse cicatrix:
Horrent admotas vulnera cruda manus

et 25 sq.:

Cura quoque interdum nulla medicabilis arte,
Aut, ut sit, longa est attenuanda mora.

---

1) cf. Hor. epod. 15, 10. Cic. Tuscal. IV, 6. Auct. ad Herenn. II, 5.

Qui antem potuit omnino poëta apertius significare, tum quidem longius temporis spatium nondum praeteriisse? An potuit posteriore exilii tempore mentis suae aegritudinem cum crudis vulneribus comparare? Immo plane aliter iam tertio exilii anno eadem vulnerum imagine utitur Trist. V, 2, 7 sqq.:

Mens tamen aegra iacet, nec tempore robora sumpsit
Affectusque animi, qui fuit ante, manet.
Quaeque mora spatioque suo coitura putavi,
Vulnera, non aliter, quam modo facta dolent.

Ergo iam tum spem depusnerat, fore, ut dolores sui tempore levarentur. Quin etiam iam prius, cum conderet carmen Trist. IV, 6, quod autumno anni 11/764 attribuimus, non apud se valere tempus, commune illud miserorum solacium cognoverat v. 17 sqq.:

Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas,
Praeterquam curas attenuare meas.
Ut patria careo, bis frugibus area trita est,
Dissiluit nudo pressa bis uva pede.
Nec quaesita tamen spatio patientia longo est,
Mensque mali sensum nostra recentis habet.

Eadem autem sententia per totam fere epistolam variis modis effertur. Quam si comparamus cum illa, quam ex epistola Rufino missa attulimus, eo deducimur, ut compositam hanc esse statuamus, antequam poëta mentem in Tristium illis duobus carminibus descriptam conciperet.

Idem alia ratiocinatione, quamvis non aeque valida, assequimur in priore epistola Messalino missa, qua poëta auxilium nobilissimi viri omnino nondum implorat, sed id tantum agit, ut percontetur, quae sit illius erga se voluntas. Quamobrem recte Schulzius (p. 25) hanc primam esse indicavit, qua Ovidius Messallinum adierit. Neque dubito contendere, etiam epistolas pedestri sermone conscriptas numquam antea eidem missas esse[1]).

---

[1]) Neque tamen ideo nullum in Tristium libris carmen ad eum spectare statuamus necesse est cf. supra

Nam si iam alia ratione poëta bonam Messallini erga se voluntatem cognovisset, et fortius ad eum accessisset, et benevolentiae gratias copiosissimas referre non oblitus esset, quales in omnibus epistolis ad Cottam aliosque coniunctiores amicos datis inveniuntur. Sin iam antea repulsam tulisset, aut defendendo excusandove operam dedisset (ut in altero carmine Graecino misso II, 6), aut omnino denuo scribere non ausus esset. Nonne autem statim e patria pulso, integra etiam veniae spe, Messallinus ei adeundus erat, ad quem per Cottam fratrem haud dubie iam tum aditus ei patuit? Nam quod fortasse Messallinus tum temporis non Romae, sed in castris erat, non impedit, quominus poëta gratia et auctoritate eum apud imperatorem sibi utilem fore speraverit. Quibus rationibus haec quoque epistola ad prius exilii tempus reici videtur.

Neque absimilis est condicio epistolae II, 9, qua Ovidius Cotyn regem alloquitur, virum et Martis et Musarum studiis insignem, qui prope Tomos regnum tenebat. Partem autem Thraciae ab Augusto Rhoemetalcide patre mortuo ei traditam esse, Tacitus auctor est (Ann. 2, 64 cf. Dio 50, 30). Quod quo anno factum sit, non traditur. Sine ulla autem causa Wölffelius (p. 2205) suspicatus est, modo potestate donatum ab Ovidio epistolam accepisse. Cum enim Cotyn non sola hereditate regnum accepisse, sed singularem quandum in potestatibus opibusque inter hunc et Rhescuporidem fratrem dividendis curam ab Augusto positam esse sciamus, Ovidium eius rei mentionem facturum fuisse crediderim, si recenti tempore accidisset, praesertim cum versibus 77 sqq. clementiam Augusti tantis laudibus efferat. Nam ea est Ovidii omnes res ad carminum suorum argumenta adhibendi diligentia, ut plurimum valeat ratio ex silentio petita ceteroquin non nimis firma. Neque minus ipsa verba indicant, Ovidium et Cotye iam regnante in illas regiones venisse, et haud multo post regem litteris petiisse v. 7 sqq.:

Me fortuna tibi, de qua, quod non querar hoc est,
  Tradidit, hoc uno non inimica mihi.

Excipe naufragium non duro littore nostrum,
Ne fuerit terra tutior unda tua!

et 67:

Non ego caede nocens in Ponti litora veni, . .

e. q. s. . . .

Ac gratia quidem regis, si omnino pretium habebat, quam citissime comparanda erat, ita ut vix intellegamus, cur Ovidius anno demum 12 vel 13 eum adierit. Quamquam, cum quo anno Cotys regnum acceperit, non compertum habeamus, suspicionem quam iudicium proponere malo.

Denique duae epistolae I, 6 et II, 6, ad Graecinum datae, in quaestionem veniunt. De quo viro, quae ad epistolarum indolem perspiciendam pertinent, exponam.

Erat amicus intima amicitia cum Ovidio coniunctus. Cuius fides quanto solatio exuli poëtae fuerit, ex epistola ad fratrem eius, Flaccum, missa cognoscimus I, 10, 39 sq.:

Vos estis fracto tellus non dura phaselo,
Quamque negant multi, vos mihi fertis opem.

e. q. s.

Inde autem a prima iuventute hanc amicitiam perdurasse, edocemur loco quodam Amorum II. 10. 1:

Tu mihi, tu certe — memini —, Graecine, negabas,
Uno posse aliquem tempore amare duas.

Videmus studiorum summam affinitatem ei cum poëta intercessisse, participemque quasi eum fuisse et adiutorem in carminibus iuvenilibus componendis.

Hunc virum Ovidius his alloquitur I, 6, 1:

Ecquid, ut audisti — nam to diversa tenebat
Terra — meos casus, cor tibi triste fuit?

E quibus Graeberus (p. XXIII) rectissime conclusit, sic non potuisse poëtam loqui, nisi cum primum epistola amicum adiret. At cum Graecinus eo tempore, quo Ovidius Roma pulsus est, peregrinaretur, nonne plurimum poëtae intererat, ut quam primum cognosceret, quam erga se voluntatem vetus amicus haberet? Adeundus igitur ei erat, simulatque mens a

primo terrore paululum recreatus, scribendi operi vocavit. — Idem flagitant, quae infra leguntur. Exponit enim poëta, iniquo casu incidente, se eo etiam infeliciorem fuisse, quod absens amicus solatium sibi ferre non potuisset v. 11 sqq.:

Certe ego, cum primum potui sentire, quid essem —
Nam fuit attonito mens mihi nulla diu —
Hoc quoque fortunam sensi, quod amicus abesses,
Qui mihi praesidium grande futurus eras.
Tecum tunc aberunt aegrae solatia mentis
Magnaque pars animi consiliique mei.

Quibus adversa fronte opponuntur versus 17 sq.:

At nunc, quod superest, fer opem, precor, eminus unam,
Alloquioque iuva pectora nostra tuo.

Scilicet ei tempori, quod relegationem proxime antecessit, id opponitur, quod proxime insecutum est. An non primo maxime exilii tempore Ovidius amici solatio egebat? — Deinde poenae causa significatur, crimenque, quoad fieri potest, excusatur (vv. 19—24). At quonam tempore poëtae magis culpa diluenda erat, quam, cum primum tanta imperatoris ira cognita, inscii e poenae magnitudine sceleris atrocitatem metirentur? Accedit, quod hic quoque crudorum vulnerum imagno illa recurrit, quam supra in epistola I, 3, ad tempus carminis constituendum adhibuimus v. 23 sq.:

Qualiacunque modo mihi sint ea facta, rogare
Desine. Non agites, siqua coïre velis!

Denique cetera carminis parte poëta profitetur se multam veniae spem in bonitate (v. 45) dei ponere, qua spe etiam impeditus sit, quominus statim manus sibi inferret. In primo igitur calamitatis tempore poëtae mens tota commoratur. Sin iam diu exilium tulisset, dicendum ei erat, se illa spe non solum e prima animi perturbatione resurrexisse, sed etiam per longam continuamque malorum seriem sustentatum esse. Implorat autem Graecini auxilium adeo non auxie vel sollicite, ut irritas preces adhuc omnino nullas fecisse videatur.

Quae prioris temporis argumenta etiam augentur et confirmantur inspecta altera epistola eidem missa. Quae autem inter has duas epistolas ratio intercedat facile cognoscitur. Epistola enim II, 6 respondet poëta ad epistolam a Graecino acceptam, cuius argumentum possumus aliquà cum verisimilitudine ex Ovidii verbis nobis depingere his maxime versibus in usum vocatis, II, 6, 5 sqq.:

Corripis, ut debes, stulti peccata sodalis,
Et mala me meritis ferre minora doces.
Vera facis, sed sera meae convicia culpae:
Aspera confesso verba remitte reo!

Graviter igitur Graecinus in Ovidium invectus erat, cum veram exilii causam comperisset. Sed haec reprehensio non suo tempore, sed sero facta est cf. v. 9 sq.:

Cum poteram recto transire Ceraunia velo,
Ut fera vitarem saxa, monendus eram.

Neque tamen amicus, qua erat humanitate, solandi munus suscipere dedignatus est v. 13 sqq.:

Brachia da lasso potius prendenda natanti,
Nec pigeat mento supposuisse manum!
Idque facis, faciasque precor. . . . .

Quamobrem gratias ei agit Ovidius, petitque ab eo, ut fidem sibi servet v. 35 sq.:

Fac modo permaneas lasso, Graecine, fidelis,
Duret et in longas impetus iste moras!

Quaeritur, quonam tempore Graecinus Ovidio eiusmodi epistolam mittere potuerit. Nempe tum, cum primum crimen eius comperisset? Quod enim „sera" dicuntur Graecini convicia (v. 7), eo posterius tempus non indicatur. Non enim discernit poëta primum post culpam admissam tempus a posteriore, sed id, quo vitium etiam vitari potuit, ab eo, quo poenam iam expertus erat. — Porro quonam tempore Ovidius orare potuit, ut permaneret amico impetus ille amoris i. e. primum eius fidei in perpetuum servandae consilium? Nempe tum, cum primum ille solandi munus, non aversatus epistolam ei

misisset? Post tres autem, vel quattuor demum annos eos litteris inter se colloqui coepisse, qui per totam vitam coniunctissime vixerant, non credibile est. Ac primo quidem exilii tempore iure invehi potuit Graecinus in scelus ab amico commissum, ita tamen, ut amorem a se non depositum esse profiteretur. Summae autem crudelitatis opprobrio obnoxius esset, si post tres vel quattuor annos id denuo attigisset, quod Tristium libris iam editis, sexcenties sine dubio erat oribus hominum retractatum. Ex ipsa praeterea ratione, qua Ovidius Graecino gratias agit (v. 19 sqq.), apparet, eum adipiscendi magis auxilii spe, quam lati memoria inspirari. Quod non refellitur verbis 29 sq.:

Tu quoque, per durum servato tempus amico,
Dignus es in tantis nomen habere viris.

Nam Graecinum non adeo iam dignum esse, cuius constantia carminibus celebretur, sed dignum futurum esse, eo elucet, quod huic ipsi gloriae gratis carminibus comparandae promisso subicitur exhortatio supra adscripta: „Fac modo permaneas . . ." e. q. s.

Ecce rationes, quibus commoveor, ut Ovidium primo tempore, quo Tomis habitaret, Graecino misisse statuam epistolam I, 6, acceptoque responso, quamvis non omni ex parte iucundo, attamen haud inimico, denuo epistola II, 6, eum adiisse. Quae tamen sententia una etiam gravissima difficultate laborat. Nam cum Graecinus eo tempore, quo Ovidius relegaretur, Romae non esset, (I, 6, 1) fortasse ille non potuit omnino, eum, antequam rediret, litteris adire. Cum autem verisimillimum sit, Graecinum iam tum in muneribus publicis administrandis versatum esse, quippe qui septem annis post consulatum adipisceretur[1]), in provincia videtur tum apud exercitum publicis negotiis interfuisse. Quo aliquis effectum esse dicat, ut anno demum 12 vel 13 Ovidius primam ei mitteret epistolam.

Sed quid obstat, quominus Graecinus etiam in provincia

---

[1]) Fast. Ant. C. I. L. I p. 475.

litteras et dederit et acceperit? Meminerimus, quot epistolas Cicerones fratres invicem sibi miserint, cum alter Romae esset, alter aut in Sardinia moraretur, aut in Gallia apud Caesarem stipendia faceret. (cfr. ad Q. fr. III, 8, 2 all. —). Quas aut per proprios nuntios, aut per Caesaris vel Labieni tabellarios perlatas esse comperimus. Quid? Nonne ad Graecinum quoque ab Ovidio epistolae dari poterant eo modo, ut primum Romam missae, amici alicuius cura in provinciam pervenirent? Nam dubitari non potest, quin Augusti aetate etiam multo facilior redditus sit commeatus inter urbem et provincias, quam liberae rei publicae temporibus[1]). Sed de hac re iudicandi facultatem etiam ipse Ovidius nobis praebet.

Primum enim epistola II, 1, ad Germanicum missa est post annum 13, cum is iam in Germania exercitui praeesset, ad quem post consulatum anno 12 administratum profectus est (Tac. Ann. I, 3, Vell. II, 123, Suet. Cal. 1).

Tum Messallinum, quem cum Tiberio usque ad annum 762/9 in Pannonia dimicavisse scimus (Vellej. II, 112, Dio 55, 30) cum eodem post cladem Varianam ad Rhenum profectum ibique usque ad annum 12 moratum esse, quamquam e Suetonii[2]) verbis non necessario consequitur, tamen verisimillimum est. Quamobrem hic quoque epistolam I, 7, quam ante triumphi quidem Tiberiani nuntium Tomos perlatum scriptum esse satis constat, in provincia videtur accepisse.

Idem etiam certius cognoscitur in epistola IV, 8, qua Ovidius Suillio de epistola ab eo accepto gratias agit auxiliumque eius implorat. Nam idoneis argumentis et Ovidii et Suilli epistolam ad id tempus referri, quo Suillius in Germania stipendia faceret, postea in libri quarti temporibus indagandis exponetur.

Iam videmus, vestigia quaedam haud obscura exstare, e

---

[1]) cfr. Friedländer: Sittengeschichte Bd. II, p. 1 sqq.

[2]) Suet. Tib. cop. 17: A Germania in urbem reversus, triumphum, quem distulerat, egit, prosequentibus etiam legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrarat. Cf. Ovid. ex P. II, 2, 83 sq.

quibus concludamus, etiam eis amicis ab Ovidio epistolas missas et invicem ab illis acceptas esse, qui in provinciis muneribus fungerentur. Quo pacto tollitur difficultas illa, qua quominus epistolas I, 6 et II, 6 ad prius exilii tempus referremus, videbamini prohiberi.

Ceterae trium librorum epistolae, ut omnibus temporum indiciis destitutae, quo anno ortae sint, in medio relinquendum est.

Restat, ut, quae hac quaestionis parte effecisse nobis videamur, in unum conspectum ponamus: Atque epistolas quidem I, 1 et III, 9 perfecto denique operi adiectas esse argumentorum natura docet. Duorum autem carminum (I, 2 et I, 8) disertis testimonis alterum hiemi annorum 12/13, alterum autumno 13 attribuitur. Deinde sex epistolas (II, 1, II, 2, II, 5, III, 1, III, 3, III, 4) post Tiberii triumphum, decem (I, 4, I, 9, I, 10, II, 3, II, 7, II, 8, II, 10, III, 5, III, 6, III, 7) posteriore exilii tempore ortas esse apparet. E reliquis duodecim epistolis una (II, 8) ante triumphi tempus reicienda, quinque (I, 3, I, 6, I, 7, II, 6, II, 8) argumentis quamvis non ubique aeque gravibus priori exilii tempori attribuuntur. Atque hic quidem in singulis argumentationem nostram ab erroribus non omni ex parte munitam esse concedendum est. Universa autem sententia, qua inesse his libris carmina priore tempore orta, contendimus, sola epistolarum I, 3, I, 6, II, 6 perscrutatione satis confirmatur.

Nunc demum intellegimus, quanta sit vis verborum illorum III, 9, 53

Postmodo collectus utcunque **sine ordine** iunxi . . .

neque perperam dicta esse perspicitur, quae de eis supra in universum monuimus. Nam non solum intra breve aliquod temporis spatium temporum ordinem non servatum esse, sed etiam altius poëtam rediisse cognoscimus, ut membra, e quibus hoc corpus connecteretur, colligeret. Quae sententia solo etiam carminum numero commendatur, quem non verisimile est intra temporis spatium anno non longius una cum carmine triumphali compositum esse ab eo poëta, qui in quattuor posterioribus Tristium libris tres fere plenos annos consumpsit. Summa

igitur disputationis ea est, ut statuatur, contineri tribus prioribus Ponticarum epistolarum libris epistolas sermone numeris incluso compositas, quas Ovidius circa triumphi Tiberiani tempus Romam misit, adiectis eis, quas inde a primo exilii tempore nominibus aperte additis ad amicos dedit.

Quartus „ex Ponto" liber ab antecedentibus ambitu, compositione, amicorum denique nominibus, quae in eo inveniuntur, diversus est. Quin etiam compositionis vocabulo fortasse omnino uti non licet, cum quam maxime dubium sit, num omnino hae sedecim epistolae ab ipso poëta in libri formam redactae sint. Quae tamen quaestio mea quidem sententia plane perfici non potest. Nam quam rationem Schulzius (p. 26) e Birtii[1]) doctrina desumpsit, ideo nil valet, quod ex forma externa petita, non minus obstat ei sententiae, qua mortuo poëta ab amicis, quam ei, qua ab ipso poëta librum editum esse statuitur. Quae autem Woelffelius (p. 2065 sqq.) attulit, ut quartum quoque librum cura et diligentia a poëta ad hanc ipsam formam perductum esse, ostenderet, partim Schulzius reiecit, partim reicere non opus est. Velut, quod sibi persuasit, epistola prima et decima quinta id agi, ut totus liber ad S. Pompeium delegetur, quam temere positum sit, Schulzius (p. 28 sqq.) ostendit. Externa igitur libri forma eo potius deducimur, ut editionem non ab ipso poëta institutam esse credamus. — Sed unum restat, quod Woelffelius (p. 2061 Anm.) obiter tantum tetigit. Nempe alteram epistolam Tuticano missam poëta incipit ab his verbis XIV, 1 sq.:

Haec tibi mittuntur, quem sum **modo** carmine questus,
Non aptum numeris nomen habere meis.

Quibus respicit poëta ad initium epistolae duodecimae ad eundem datae XII, 1 sq.:

Quominus in nostris ponaris, amice, libellis
Nominis efficitur condicione tui.

---

[1]) Birt: Das antike Buchwesen p. 292.

Sin consideramus, ea plerumque ratione a scriptoribus adhiberi verbum „modo", ut respiciatur ad locum aliquem, qui in eodem opere paulo antecedit, paene permovemur, ut hic quoque animo saltem poëtae iam obversatam esse statuamus eam in libro quarto carminum dispositionem, quae nobis servata est. Sed cum etiam fieri potuerit, ut genere illo dicendi alterum carmen ab altero non loco sed tempore tantum non multum distare significetur[1]), certum iudicium fieri nequit Quamobrem relicta quaestione admodum lubrica, ad singulorum carminum tempora indaganda transeamus.

Primo autem loco agendum est de certis temporum indiciis, quorum numerus multo maïor est, quam in antecedentibus libris. Qua ratione haec constitui possunt.

Epistola quarta ad S. Pompeium missa est, cum primum poëta eum consulem creatum esse comperisset, ipse honos in illum nondum collatus esset (v. 17 sq.). Idem cum munere iam fungeretur, quintam epistolam accepit (v. 1 sq.). Consulatum autem ab eo anno 767/14 una cum S. Apuleio administratum esse constat (Tac. Ann. I, 7). Neque dubitanter contra Woelffelium (p. 2065) contendere ausim, utrumque carmen statim, occasione illa oblata, conditum et ad S. Pompeium missum esse. — De sextae autem epistolae tempore, qua Augusti mors primum commemoratur, in initio huius disputationis fusius egimus. — Deinde plane eadem de causa, qua epistola quarta ad Pompeium, epistola nona ad Graecinum missa est (v. 3 sq.), quem mense Iunio anni 769/16 consulem suffectum nominatum esse scimus (C. I. L. I, p. 475). — Aestati autem anni 768/15 attribuitur epistola decima his verbis v. 1 sq.:

Hic mihi Cimmerio bis tertia ducitur aestas
Littore, pellitos inter agenda Getas.

Sexta denique bruma commemoratur XIII, v. 39 sq.:

. . . . . sed me iam, Care, nivali
Sexta relegatum bruma sub axe videt.

---

[1]) cfr. Cic. de nat. d. I, 21, 40. — off. I, 8, 26 all.

Quo utrum hiems annorum 14/15 an insequentis anni solstitium hiemale significetur, ratione satis certa discerni non potest. Sed cum in prioribus libris viderimus, poëtam temporum ordinem non disturbavisse, ubicunque signis satis certis indicaretur, hic quoque eandem legem ab eo servatam esse suspicabimur. At si epistola IV, 13 ad hiemem annorum 14/15 pertineret, antecedenti carmini tempore antecederet. Praeterea videndi vox (XIII, 40) translata significatione aptius usurpari videtur de uno temporis puncto, quam de longiore aliquo spatio[1]). De mense Decembri igitur anni 16/769 cogitare malim. Sed cum res hoc modo non plane conficiatur, supra in fundamentis quaestionis iaciendis hic locus in usum vocari non poterat.

Hactenus certis disertisque testimonis ducimur. Sed ab his profecti facillime de aliis quoque nonnullis carminibus iudicium ferre poterimus.

Primum eam, a qua incipit liber, ad S. Pompeium datam epistolae quartae et quintae tempore antecedere, inde elucet, quod sine dubio prima est, qua hunc virum aperte poëta allocutus est, ut Schulzius (p. 23) recte conclusit e versibus 3 sqq.:

Qui, seu non prohibes, a me tua nomina poni,
Accedat meritis haec quoque summa tuis:
Sive trahis voltus, equidem peccasse fatebor, . .
e. q. s.

Quocum optime convenit, quod consulatus eius mentio non fit. E versibus autem 11 sqq.:

O! quotiens ego sum libris mihi visus in istis
Impius, in nullo quod legerere loco!
O! quotiens, alii vellem cum scribere, nomen
Rettulit in ceras impia dextra tuum!

cognoscimus, tum temporis iam editos fuisse priores tres Ponticarum epistolarum libros, in quibus aliorum amicorum nomina poëta posuit. Deducimur igitur ad extremum anni 766/13 tem-

---

[1]) cfr. Cic. Lael 3, 12. ad Att. 16, 11, 1.

pus, quo tamen Ovidius de consulatus honore initio insequentis anni ad amicum deferendo nondum certior factus erat.

Neque minus in epistola septima coniectandi ansa praebetur. Nam Vestalem centurionem esse ex Ovidii verbis (v. 16) apparet, ita ut vix possit esse dubium, quin recte Schulzius (p. 36) Taciti verba [1]) ad eundem spectare statuat. Ad turbas igitur post Augusti mortem inter Cotyn et Rhescuporidem Thraciae reges exortas spectant, quae de Vestalis munere Ovidius dicit v. 1 sq.:

Missus es Euxinas quoniam, Vestalis ad undas,
Ut positis reddas iura sub axe locis . . .

Sed, ut tempus, quod Augusti mortem proxime insecutum est, agnoscitur, ita anni, quo centurio ille missus sit, accurate definiendi facultas Taciti narratione non datur.

Eiusdem autem auxilio epistolae octavae tempus constitui potest. Compositam eam esse non ita multo post mortem Augusti, eis perspicitur, quae poëta ad Caesarem Germanicum conversus profert v. 63 sq.:

Et **modo**, Caesar, avum, quem virtus addidit astris,
Sacrarunt aliqua carmina parte tuum.

Suillium autem, ad quem epistola data est, Tacitus (Ann. IV, 31) „quondam quaestorem Germanici" fuisse, neque tamen quo tempore hoc munere functus sit, tradit. Sed cum per ipsum Ovidium edoceamur (v. 21 sqq.), tum, cum haec epistola scriberetur, illum apud Germanicum plurimum valuisse, verisimillimum est, eum primis Tiberii imperatoris annis quaestorem fuisse, quibus Germanicus in Germania exercitui praeerat. Cui aetati hanc quoque epistolam iure attribuimus. Nam quod Woelffelius (p. 2065) [2]) tam confidenter posuit, post reditum

---

[1]) Tac. Ann. II, 65: . . . delegit centurionem (sct Tiberius) qui nuntiaret regibus (sct. Cotyi et Rhescuporidi) ne armis disceptarent.

[2]) . . . . während das (Gedicht) an Suillius (8) nur in den Herbst 16 fallen kann, da in diesem Jahre erst Germanicus, bei welchem sich Suillius verwenden will und soll, aus Deutschland zurückgerufen wurde.

demum Germanici Suillium ab Ovidio implorari potuisse, nullam speciem habet. Nam hoc semel concesso, Suillii quoque epistolam, quam Ovidius commemorat (v. 1), post reditum demum Germanici datam esse constituendum est. Cui cum haud dubie altera Ovidii epistola nobis non servata antecessisset, iam longum temporis spatium praeteriisse consequeretur, ex quo Germanicus Romam rediisset. Qui sub finem demum anni 769/16 Romae esse potuit, cum „iam adulta aestate" (Tac. Ann. II, 23) denuo castra movisset et militibus in hiberna reductis tandem provincia discessisset (Tac. c. 26). Woelffelio igitur epistola IV, 8 non ad autumnum anni 769/16, sed ne vix quidem ad initium insequentis anni referenda erat, ita ut complures iam anni inde ab Augusti morte, quem poëta „modo" (v. 63) astris additum esse dicit, praeterlapsi essent. Praeterea si consideramus, quem Ovidius semper secutus sit morem, ut principum res, non solum quas gestas audivisset, sed etiam quas aliquando gestum iri crederet (cf. ex. P. II, 1), studiosissime efferret, aegre nobis persuadebimus, Germanico tam modicam, quam in hac epistola, belli laudem ab eo dari potuisse, tot tantisque victoriis splendidissimoque triumpho iam compertis [1]). Quin etiam poëta satis aperte indicare videtur, posteriore aliquo tempore, quo se iam in propriore urbi Romae loco futurum esse sperat, fore, ut factis Germanici citius nuntiatis carminum materies sibi suppeditetur v. 89 sq.:

Unde tuos possim laudes celebrare recentes,
Magnaque quam minima facta referre mora.

Epistolam igitur ante bellum a Germanico finitam, neque multo post mortem Augusti missam esse consequitur. Qua re iam supra usi sumus tum, cum non solum Romam, sed etiam in provincias ab Ovidio litteras ad amicos datas esse, confirmandum erat.

---

[1]) Quamquam, cum triumphus a d. VII Cal. Ian demum actus esset, potuit sane ante hoc quidem tempus e Woelffelii quoque ratione ep. IV, 8 scribi (cf. Tac. Ann. II, 41).

Denique epistola decima quinta S. Pompeio ea quoque missa in quaestionem venit. Quam epilogi munere, ut Woelffelius voluit, non fungi, facile intellegitur (cfr. Schulz p. 28 sq.) Cum autem consulatus amici non commemoretur, quaeritur, an ante annum 767/14 composita videatur. Sed recte Schulzius (p. 38 sq.) exposuit, primum e versibus 29 sq.

Et pudet et metuo semperque eademque precari,
Ne subeant animo taedia iusta tuo.

apparere, iam saepius poëtam rem suam apud Pompeium egisse, tum eo, quod dicit, se „Caesaribus" vitam debere (v. 3) cognosci, eum iam expertum esse, neque Augustum, neque Tiberium vitam sibi eripere velle. Quo Tiberio iam principe epistolam ortam esse efficitur.

Hactenus recta via procedere licuit. Cetera, quantis difficultatibus impedita sint, statim elucebit. —

Omnis autem, quae restat quaestionis pars, cum pendeat ab ea sententia, quae de epistola secunda probanda videbitur, de hoc carmine iam accuratius agamus. Etenim summa difficultas in eo posita est, quod Severi nomine inscribitur. Cui cum antea a se nunquam versus missos esse, poëta aperto indicet v. 3 sqq.

Cuius adhuc nomen nostros tacuisse libellos,
Si modo permittis dicere vera, pudet.
Orba tamen numeris cessavit epistola nunquam
Ire per alternas officiosa vicies.

num ad eundem epistola I, 8 [1]), quae idem nomen prae se fert, missa sit, quam maxime dubium redditur. Quam dubitationem Woelffelius (p. 2196) frustra ea ratione tollere conatus est, ut de gloria Severi nondum carminibus celebrato, non omnino de poëtica epistola nondum ad eum data intellegenda esse proponat verba „nomen tacuisse." Sin eundem utroque carmine virum appellari statuimus, aut poëta post aliquot annos carminis antea

[1]) Quae, quo tempore composita sit, supra expositum est.

ei missi non memor fuit[1]), quod non nimis verisimile est, aut epistola IV, 2 ante epistolam I, 8 composita est. Quicunque autem cum Schulzio (p. 31 sqq.) duos fuisse Severos Ovidii amicos statuit, temporis quaestionem omnino omittere potest.

Ac de eius quidem moribus et ingenio, qui epistolam IV, 2 accepit, ex Ovidii verbis nonnulla cognoscimus. Quae cum aliorum scriptorum testimoniis in unum componamus. Nam cum quae adhuc de hoc viro ab aliis prolata sunt, non omni ex parte satisfacere videantur, quaestionem, quae est de Severo poëta, retractare non pigebit, ut et Ovidii verba accuratius interpretemur, et temporum indagandorum operi firmissima fundamenta supponamus. Quo magis autem disputatio ab universo proposito nostro recedere videbitur, eo melius instructi, unde profecti sumus, redibimus.

Iam quae de Severo ex epistola IV, 2 adipiscamur, exponenda sunt. Cum Ovidio ita erat coniunctus, ut exilii tempore non semel litteras et daret ad eum et ab eo acciperet (v. 6 sq.), quibus curam, quam prius alter de altero habuerit, non imminutam esse confirmaretur. Ingenium autem poëtae ei cordi fuisse, eo cognoscitur, quod Ovidius amplissime causas exponit, quibus effectum sit, ut nunc iam a pristina carminum componendorum virtute desciverit (v. 15—46). Neque mirum est, haec Severo scribi, quippe qui ipse arte poëtica ita insignis fuerit, ut carmina eius sibi mitti poëta vehementer exoptet (v. 7—14, 47—50). De carminum autem eius argumento primo versu edocemur:

. . . o vates magnorum maxime regum.

cui adiungendus est unus versus epistolae IV, 16, qua Ovidius suae aetatis poëtas percenset IV, 16, 9.

Quique dedit Latio carmen regale Severus.

Non dubium est, quin de uno eodemque utroque loco agatur. Nam „carmen regale" id est, quo regum facta laudesque cele-

---

[1]) Merkel prolus. ad. Ib. p. 378. Dinter II, p. 6.

brantur[1]). — Hanc Severi imaginem e carmine IV, 2 depingere possumus. Neque difficile est conicere, quemnam virum e memoria illius aetatis notum Ovidius allocutus sit. Floruerunt enim aetate Ovidiana duo Severi, alter Cassius, alter Cornelius nomine gentilicio dictus. Sed Cassium Severum oratorem celeberrimum neutra epistola peti facile evincitur. Nam teste Hieronymo[2]) in exilio mortem obiit anno 32 p. Chr. viginti quinque annis postquam patria pulsus erat, ita ut iam ante Ovidium Roma decesserit. Praeterea arti poëticae eum operam dedisse non traditur. — Alter e Cornelia gente ortus sola poëtae gloria nobis cognitus est. De quo praeter Ovidium et antiquissimus et locupletissimus testis est Quintilianus, cuius verba, cum tota eis quaestio innitatur plene perscribam: De inst. or. X, 1, 89: „Cornelius autem Severus, etiamsi versificator quam poëta melior, si tamen, ut est dictum, ad exemplum primi libri bellum Siculum perscripisset, vindicaret sibi iure secundum locum. . . . . . consummari mors immatura non passa est; puerilia tamen eius opera et maximam indolem ostendunt, et admirabilem praecipue in aetate illa recti generis voluntatem." Quanta insit laus non solum in eo, quod secundum, scilicet post Virgilium, locum paene ei obtigisse dicitur, sed etiam in ea ratione, qua vituperatur, apertum est. Nam quo ingenii laus imminuitur, eo ars effertur. Duabus autem difficultatibus locus impeditus est. Primum quaeritur, num ea, quae leguntur post „secundum locum", omnino ad Severum pertineant. In codicibus sequitur „ferrenum" vel „farrenum" quod alteri corruptum esse censent ex „sed eum"[3]), alteri e Serrani poëtae nomine, de quo, quae deinceps leguntur, intellegenda existimant. Qua de re cum certum indicium fieri nequeat, nobis quidem uti non licet his verbis, quae si ad Severum haud dubie pertinerent, multum conferrent ad ea, quae

---

[1]) cfr. Trist. II, 553.

[2]) Schoene p. 149.

[3]) Ut din vulgatum erat.

de carminibus eius traduntur illustranda. — Tum quid sibi velint verba „ut est dictum" non perspicitur. Nam in opere quidem Quintiliani nobis servato, ante hunc locum Cornelii Severi mentio facta non est. Quamobrem Halmius verba uncis quadratis inclusit. Sin genuina sunt, dolendum sane est, quod alterum de Severo iudicium ab elegantissimo iudice latum periit. Cardo autem quaestionis versatur in verbis: „si ad exemplum primi libri bellum Siculum **perscripsisset**", de quibus variae a viris doctis sententiae prolatae sunt. Atque id quidem omnes consentiunt, bellum Siculum id esse, quod inter Octavianum et S. Pompeium gestum est anno a. u. c. 718/36 a. Chr. Rationes autem quibus eo deducimur, sunt tres:

Primum Seneca filius testatur (cf. Epist. 79), Cornelium Severum Aetnam montem carmine descripsisse. Quod non proprio opere ab eo institutum esse, sed intra maioris operis fines, eo verisimillimum fit, quod Severus comparatur cum Virgilio et Ovidio, quorum alter in Aeneide, (III, 571 sqq.) alter in Metamorphoseon libris (XV, 340 sqq.) ad idem argumentum accessit. Appianus autem (*ἐμφυλ.* V, 117) refert, eodem tempore, quo inter Octavianum et S. Pompeium dimicaretur, magnam ignis vim ex Aetna monte eiectam terrarumque motum ortum esse. Quo commovemur, ut Senecam ad carmen aliquod spectare statuamus, quod in illis temporibus describendis versatum sit. — Deinde a maiore Seneca (suas VII) servati sunt XXV versus Cornelii Severi elegantissimi, quibus mors Ciceronis defletur. Neque suo iure eos esse, sed e maiore aliquo corpore desumptos, primi eorum forma grammatica docet:

Oraque magnanimum spirantia paene virorum
In rostris iacuere suis . . .

Qui ad idem carmen de bello ab Octaviano in Sicilia gesto compositum optime referuntur, dummodo Severum narratione sua paulo altius rediisse et res inde a secundo triumviratu gestas eodem carmine complexum esse ponamus. — Denique quid magis incitare potuit illa aetate poëtae ingenium, quam id bellum, quo Octavianus occidentalium provinciarum imperium

maris dominatione comparata re vera demum adeptus est? Contra quid magis alienum erat ab illorum temporum studiis, quam aut bella cum Carthaginiensibus de Sicilia orta, antiquorum poëtarum, Ennii, Naevii operibus celebrata, aut res ab aliis populis in hac insula gestae? — Non temere igitur omnes Augusti victoriam de S. Pompeio reportatam a Severo celebratam esse statuerunt.

Sed ut etiam plus Quintiliano adiutore eruamus „perscribendi" praecipue notio observanda est, quae usurpatur de re aliqua ab initio usque ad finem persequenda [1]). Recte autem Beckerus [2]) exposuit, Quintiliani verba non ita intelleganda esse, ut carmen de bello Siculo a Severo inceptum, neque tamen perfectum esse credamus. Immo, perfecit Severus carmen suum, sed in posteriore parte non idem, quod in priore ingenium praestitit. Sed Beckerus et praecipue Haubius [3]) (p. 11) in alium errorem delapsi sunt. Ipsum enim bellum Siculum posteriore demum carminis parte tractatum esse censent. Quod tamen, quomodo e Quintiliani verbis interpretando elici possit, non video, nisi forte Scaligeri coniecturam recipimus, qui, ut pro „Siculum" „civile" reponamus suadet. Nam siquis Livi libros priores posterioribus anteponat, num hos non eadem arte, qua illos „perscriptos" esse dicat? Immo, dicendum erat, totum opus non eodem modo „perscriptum", quo inceptum esset. Vel, sicui in Virgilio minus placeant, quae de re apiaria in quarto Georgicon libro exhibuit, nonne non librum, qui est de re apiaria, sed Georgicon opus, non eodem, quo tres priores libros ingenio „perscriptum" esse queratur? Praeterea, si illorum sententiam sequeremur, operi Severi maius temporis spatium amplexo belli Siculi descriptio velut finis ac clausula imposita esset (cf. Becker. p. 590). Sed non is fuit huius belli

---

1) cf. Livius I, 1: Facturusne operae pretium sim, si a primordio urbis res populi Romani perscripserim .....

2) Z. f. Alterthw. 1848 p. 588 sqq.

3) Haube: Quaestiones epicae, dissert. Breslau 1870.

eventus, ut apte disiungi posset ab eis, quae insecuta sunt usque ad totum Romanorum imperium Octaviano subiunctum. Quae ab Ovidiani aetatis poëta omissa esse, non credibile est. Contra per se solum bellum Siculum, quo maris imperium a Pompeio ad Octavianum translatum est, optime potuit proprio carmine describi.

His rationibus nobis persuademus, totum Severi carmen in bello Siculo celebrando versatum esse, praemissa brevi quadam temporis proxime antecedentis enarratione, unde versus de Ciceronis morte desumpti videntur. Quae et vix omitti poterat, et paucis absolvi.

Sed quamquam carminis Severiani argumentum artis finibus circumscribendum videtur, tamen nil impedit, quominus grammatici verba: „Cornelius Severus **rerum Romanarum lib. I** dicit." — (Eich. u. Endl. Annal. gr. p. 216 Keil IV, 207 sqq.) de hoc ipso carmine intellegamus. Atque in his quidem titulum recognoscemus, quo inscriptum ipsum Severi opus circumferebatur, a Quintiliano argumentum potius carminis significatum, quam nomen accurate laudatum suspicabimur. Quod autem Beckerus (590) etiam librorum numerum, quibus opus constaret, eruere conatus est, argutius quam verius ab eo institutum esse nemo non videt.

Fragmenta brevissima, passim a grammaticis servata ad quaestionem nostram nil conferunt. Quorum uni, quod numeris adhuc coërcere non contigit, Beckerus ingeniosissima coniectura medelam afferre conatus est[1]). Quam recipiendam esse ut non plane persuademur, ita id efficitur, verba illa magis suspecta esse, quam ut eis usi, aut a Cornelio Severo etiam prosa oratione scripta composita esse, aut a Cassio Severo verba petita esse statuamus.

His, quae de Cornelio Severo cognita habemus, nulla dubi-

---

[1]) p. 595: Verba a Prisciano laudata: X, 57: — „de statu suo — adque sallite" corrupta censet e „distractos atque salitos", quod Diomedes servavit. (I p. 372 P.)

tatio relinquitur, quin hunc ipsum Ovidius epistola IV, 2 allocutus sit. Nam is fere solus illa aetate invenitur, in quem aliquo iure tanta artis poëticae laus conferatur. Iam igitur ad Ovidium redeamus, ut experiamur, quid maioribus copiis comparatis e verbis eius elici possit.

Imprimis autem quaeritur, num carmen regale, quod Ovidius commemorat, diversum sit a belli Siculi descriptione a Quintiliano laudata. Atque Nic. Heinsius quidem (not. ad. IV, 2, 1) ab Ovidio tragoedias significari statuit, quibus Severus regum facta cecinisset. Quam sententiam plane reiciendam esse, neque ullo modo confirmari loco quodam Ovidiano (Trist. II, 553) ab Heinsio allato, Weichertus ostendit (de Vario p. 150 sq.). Nulla igitur causa est, cur, quin ad carmen epicum, quale fuit bellum Siculum, Ovidii verba spectent, dubitemus. Ut autem carminis regalis nomine re vera ipsum bellum Siculum significari statuerent, Weichertus et Beckerus eo tantum deducti sunt, quod I. H. Vossium secuti regum notionem non satis accurate circumscripserunt. Omnino enim de civitatum principibus, itaque etiam de bellorum civilium ducibus usurpari posse contendunt. Quibus iure adversatus est Haubius (p. 13). Nam quae illi attulerunt exempla nil valent. In Domitii Marsi enim epigrammate

— — — — — —

Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

sine dubio Aeneas, Latinus, Turnus aliique priscorum temporum reges a Virgilio celebrati intellegendi sunt, in loco autem Virgiliano Ecl. VI, 3

Cum canerem reges . . . . .

ei tantum de bellorum civilium principibus cogitaverunt, qui indicatum esse statuerunt a Virgilio carmen aliquod re vera ab eo ante Bucolicon libros incohatum [1]). At quis statuat car-

---

[1]) cf. I. H. Vossii ad hunc locum commentatio in Virgilii carminum editione.

minis illius Anacreontici, quod incipit a verbis: *Θέλω λέγειν Ἀτρείδας, θέλω δὲ Κάδμον ᾄδειν* . . . e. q. s. auctorem re vera carminibus epicis operam dedisse, priusquam ad hoc levius genus accederet? Non magis autem, quam huius poëtae Virgilii verba premenda sunt. — Praeterea, ut ampliorem illam in regis nomine esse significationem non probatur locis allatis, ita gravissimae rationes obstant, quominus bellorum civilium duces sic appellari potuisse credamus. Quos Horatius quidem non reges, sed principes dicit (Od. II, 1, 4). Rectissime autem Haubius (p. 12) monuit, de illius aetatis viris potentissimis hoc nomen usurpari non posse nisi summae cum invidiae nota, quae re vera post Tarquinios expulsos tam penitus ei inusta fuit, ut nunquam ullus imperator Romanus eo se appellari voluerit. Quod etiam in carminibus Ovidianis cognoscimus, in quibus Augustus imperator deus non semel appellatur, nunquam regis titulo ornatur. (cf. Trist. V, 2 ex P. I, 6, 46. 1, 48.) Quo efficitur, carmen illud regale, quo scilicet regum facta canebantur, non esse bellum Siculum a Quintiliano laudatum.

Neque id Haubium fugit, qui ne duo fuisse Severi carmina concederet, ita rem explicare conatus est (p. 13), ut poëtam carminis initium cepisse proponat a regum Romanorum factis enarrandis, tum liberae reipublicae temporibus breviter perlustratis, ad Caesaris Octavianique res gestas transiisse rerumque expositionem perduxisse usque ad S. Pompeium devictum: ac priorem quidem, quae erat de regibus, partem Ovidii Quintilianique laudes meruisse, posteriorem minus bene tractatam esse. — Sed haec sententia non una ratione refellitur. Primum iam supra expositum est, neque bellum Siculum aptum fuisse, quo maius aliquod opus ad res Romanos spectans finiatur, neque e Quintiliani verbis desumi posse, posteriorem tantum carminis partem in bello Siculo describendo versatam esse. — Deinde non intellegimus, cur Ovidius utroque loco partem tantum carminis significaverit, atque ne eam quidem, quae in imperatoris laudem composita principalem, ut Haubius quoque (p. 11) vidit, haud

dubie locum teneret. — Denique immensum sane opus fuisset, Ennianis Annalibus haud absimile, quippe quo tota rerum Romanarum memoria amplecteretur. Cuius famam adeo evanuisse non verisimile est. Quod cum Haubium non fugeret, liberae reipublicae tempora brevissime absoluta fuisse posuit. Sed quid minus credibile est, quam tanta inaequabilitate elegantissimum poëtam carmen suum foedari passum esse? Facere igitur non possumus, quin carmen ab Ovidio commemoratum ab eo opere, cuius liber primus a Quintiliano tanta laude ornatur, plane discernendum esse nobis persuadeamus. Quo etiam Wernsdorfius (Poëtae latini minores IV p. 27) deductus, magnorum regum, quos a Severo celebratos esse docemur, nomine Cyrum, Pyrrhum, vel similes appellari suspicatus est. Sed Haubius (p. 13) obiecit, verba

Quique dedit Latio carmen regale . . . .

spectare ad argumentum e Romanorum factis desumptum. Quae ratio, quamquam multam speciem habet, tamen non adeo certa est, ut non etiam in Graecorum fabulas, quibus antiquissimorum regum facta canebantur, Severum descendisse liceat existimemus, praesertim cum has maxime res ex Homeri locupletissima coena desumptas illius aetatis poëtae devorare solerent (ex P. II, 10, IV, 16. Iuvenal. Sat. I, 1, 1 sqq.). In medio igitur res relinquenda est. — Cum autem diversum esse cognoverimus carmen regale a bello Siculo, Severi autem gloria hoc maxime opere Quintiliano teste comparata sit, Ovidium id non omissurum fuisse probatur, si tum iam compositum fuisset. Carmen igitur regale vivo etiamtum Ovidio prodiit, bellum Siculum postea demum videtur editum esse. Ac post annum 762/9 bellum Siculum compositum esse e solis Senecae verbis concludere possumus, qui Severum Ovidio antecessore ab Aetna monte describendo non deterritum esse dicit. Nam in Metamorphoseon libro decimo quinto, qui non ante illum annum prodiit (cf. Trist. I, 7) hanc rem tractatam esse supra attulimus. Severum autem fuisse Ovidio aetate minorem eo quoque probatur quod Trist. II, 421 sqq. et Trist. IV, 10, 41 sqq., ubi enumerantur poëtae vetustiores

aequalesque, non commemoratur, in epistola ex P. IV, 16, ubi, quae quidem nostra est temporum cognitio, iuniores tantum percensentur, inter primos appellatur.

His de Severo poëta interpositis ad epistolas Ovidianas redeamus.

Reposita autem etiamnunc temporum difficultate, quaeramus, num fieri possit, ut eundem virum, cuius imaginem modo accuratius depingere conati sumus, carmine quoque I, 8 appellatum esse statuamus. Nam ne de hac quidem re viri docti consentiunt. Et re vera unum est, quod, si ad unum eundemque utramque epistolam Severi nomine inscriptam datam esse ponimus, primo obtutu admiratione dignum videri potest. Artis enim poëticae, cuius laus epistola IV, 2 tum abunde in amicum confertur, in epistola I, 8 mentio fit nulla. Woelffelii autem opinionem (p. 2196), qui Ovidium in priore epistola carminum suorum excusatione (v. 9 sq.) et belli cuiusdam narratione (v. 11 sqq.) ad poëtam eumque epicum spectare sibi persuasit, recte iam Schulzius (p. 22 sq.) refellit. Nam alterum alibi quoque saepissime occurrit, altera ratio, qua poëtam epicum appellari Woelffelius conclusit, omnino nulla est Quid autem est, cur carminum mentionem in epistola I, 8 adeo desideremus? Nonne de Bruti quoque eloquentia, quae epistola IV, 6 tantopere celebratur, in ceteris duabus ne verbum quidem? Nonne in epistola I, 5 ad Maximum missa adeo non agitur de eis virtutibus, quos poëta aut in Fabio aut in Cotta celebrare solitus est, ut ne possit quidem diiudicari, utrum virum Ovidius allocutus sit? Inquirendum igitur est, num cetera signa in epistolis I, 8 et IV, 2 concinant. Atque inde quidem, quod Ovidius utrimque carminum suorum vitia excusare studet, I, 8, 9 sq.:

Quoque magis nostros venia dignere libellos,
Haec in procinctu carmina facta leges

Iv, 2, 15:

Nec tamen ingenium nobis respondet, ut ante — —

19 sq:

Pectora sic mea sunt limo vitiata malorum,
Et carmen vena pauperiore fluit.

quamquam non ad poëtam, ut Woelffelius concludit, attamen ad hominem elegantis iudicii utramque epistolam missam esse apparet. Agriculturae autem exercendae desiderio patefacto (I, 8, 49 sqq.: IV, 2, 43) nolim cum Schulzio (p. 32 sq.) quidquam tribuere. Attamen adnotandum est, aequam in priore atque in posteriore carmine amicitiam agnosci I, 8, 1 sq.:

A tibi dilecto missam Nasone salutem
Accipe, pars animae magna, Severe, meae.

IV, 2, 8 sq:

Carmina sola tibi memorem testantia curam
Non data sunt . . . . . .

Porro in neutra epistola eiusmodi preces inveniuntur, ut Ovidium amici auctoritate imperatoris veniam sese adepturum sperare intellegamus. Immo in priore haud obscure significatur, non precibus hominum, sed votis deorum tantum hunc quidem Severum potuisse Ovidio succurrere v. 69 sqq.:

Forsitan hic **optes**, ut iustam supprimat iram
Caesar, et hospitium sit tibi villa meum.
A! nimium est, quod, amice, petis: moderatius **opta**
Et **voti**, quaeso, contrahe vela tui!

Haec igitur non inepte ad unum eundemque referuntur. Quae quamquam Schulzium (p. 35) non fugerunt, tamen aliud animadvertisse sibi visus est, quo prohiberemur, quominus eundem in primo, quem in quarto libro agnosceremus. Eius enim sententia verba I, 8, 65 sqq.:

Te modo campus habet, densus modo porticus umbra,
Nunc, in quo ponis tempora rara, forum,
Umbria nunc revocat, nec non Albana petentem
Appia ferventi ducit in arva rota.

ad „divitem potius et nobilem puerum spectare videntur, quam poëtam." Sed quid obstat, quominus Severum poëtam divitiis et aetate floruisse statuamus? Ac mea quidem sententia his verbis accurate depingitur vita illa iucunda et otiosa, qua Ovi-

dius cum amicis Romae fructus erat, quamque postea adeo desiderat. Memineris ipsum Ovidium adolescentem tempora rara in foro posuisse (Trist. IV, 10, 33 sq.)

Sed multo plus valet, quod Schulzius (p. 33 sqq.) alium quendam Severum illa aetate florentem indagasse sibi visus est, ad quem melius, quam ad poëtam quadrare existimat, quaecunque in epistola I, 8 proferantur. Atque cum hoc solo modo stabiliri possit ea sententia, qua duos fuisse Severos Ovidii amicos ponitur, argumenta eius accurate examinanda sunt.

Cogitat autem de A. Caecina Severo, viro rebus in bello gestis haud ignobili, quem praesertim Germanico imperatore in Germania strenuum se praestitisse et insignia militaria meritum esse Tacitus tradidit (Annal. I, 31—72). Ad quem, cum rebus in Thracia a Vitellio gestis eum interfuisse verisimile sit, (Dio 55, 30, 56, 11 sqq.) apte Schulzius mitti existimat belli illam descriptionem circa Aegisum gesti, quae inserta est epistolae I, 8 (v. 11—24). Idem enim bellum, quod in epistola IV, 7, hic quoque significari suspicatur. Eius igitur iudicio Caecinam Severum „verbis illis peti, quia rerum illarum particeps fuerit, facile quis contenderit."

Sed totam hanc coniecturam, quamvis sit speciosa, quam tamen ipse Schulzius ut certam proferre non audet, plane futilem esse luculenter demonstrari postest. Primum non fieri potest, ut de eodem bello, cui Vestalem interfuisse carmine IV, 7 edocemur, cogitemus. Nam quamquam utrimque Aegisum oppidum expugnatum esse narratur, illic bellum a Romanis contra Thracas, hic inter Thracum factiones gestum exhibetur. Ac per se quidem non potest cognosci, utra pugna prius, utra posterius commissa sit; Caecinam autem rebus epistola I, 8 descriptis interfuisse, vix credibile est. Nam cum Ovidius de rebus ab eo gestis ne verbum quidem adicit, tum omnino non Romanorum fuisse bellum patet. Sin interfuisset, num ei narranda erant, quae ipse viderat? Praeterea num omnino singularis aliqua causa inquirenda est, cur in hac ipsa epistola huic ipsi amico missa belli illius mentio fiat? Nonne poëta apertissime

indicat, eo bello se „in procinctu" carmina facere coactum esse? (v. 11 sqq.). Ergo eodem tempore, autumno anni 13/766, quo carmen compositum est (cf. v. 27 sq.), finitimis turbis Tomitae, ut arma caperent, commoti sunt. At illo tempore Caecina Severus vix in Thracia esse poterat, quippe qui proximo tempore alteri Germanicorum exercituum praeesset (cf. Tac. Anm. I, 31). Tollitur igitur ea ratio, qua sola Schulzius ad hunc virum deductus est.

Sed id quoque facile ostendi potest, ne potuisse quidem epistolam ad eum mitti. Nam eane est vita hominis per quadraginta stipendia experti, (Tac. Ann. III, 33) qualis describitur versibus supra laudatis: „Te modo campus habet . . . ."? Hoc solo argumento, quam futilis sit coniectura illa cognoscitur.

Cum igitur videamus, neque quidquam obesse, quominus ad unum eundemque utrumque carmen missum esse statuamus, neque idoneis argumentis demonstrari posse, alium in hoc, alium in illo intellegendum esse, sola relinquitur temporum difficultas, qua quominus de Severo poëta in priore quoque carmine cogitemus possimus prohiberi.

Eam autem explicationem, in qua Merkelius et Dinterus acquieverunt, poëtam, cum epistolam IV, 2 componeret, non meminisse prioris epistolae ad eundem datae, nullam esse Schulzio (p. 34) concedo. Certe non debemus ad eam refugere, nisi omnibus aliis rationibus frustra adhibitis. Restat igitur ut epistolam IV, 2 epistolae I, 8 tempore antecedere ponamus. Quam sententiam primum eis difficultatibus liberabimus, quibus Schulzius ab ea deterritus est, tum per se probabilem esse, ostendere conabimur.

Schulzius enim (p. 31) carmen IV, 2, etiamsi ad eundem qui carmen I, 8 accepit, missum esset, non potuisse ante hoc componi, eo demonstrare studet, quod omnino nullum tempus antecesserit, quo ortum opinemur. Nam cum eius sententia epistola I, 8 pertineat ad autumnum anni 12/765, quo tempore primum poëta epistolas amicorum nominibus aperte inscriptas

mittere coeperit, in epistola huic etiam antecedenti locum esse negat excusationi illi v. 3 sq.:

Cuius adhuc nomen nostros tacuisse libellos,
Si modo permittis dicere vera, pudet.

Sed primum epistolam I, 8 ad anni 13/766 demum autumnum referendam esse ostendimus, ita ut epistola IV, 2 et antea composita esse possit, et eo tempore, quo poëtae, multis iam amicis aperte appellatis, excusationis causa adversus Severum non deerat. Neque libellos necessario intellegendos esse de tribus prioribus Ponticarúm epistolarum libris, sed optime usurpari hoc vocabulum de singulis epistolis quos iam ante librorum corpora edita a hominum cognitione non plane remotas fuisse exposuimus, alio loco iam probatum est

Nimium autem ponderis tribuit Schulzius eis, quae poëta (v. 15 sqq.) dicit de ingenio suo imminuto, quo iam rarius ad carmina pangenda accedat. Quo nos non vetari ad idem fere tempus hoc carmen referre, ad quod primum ex Ponto librum, inde apparet, quod plane eadem leguntur in ep. I, 5, 3 sqq.: Sed eis quoque temporibus, quibus Tristium libri prodierunt carmen attribui posse, eis, quae de priorum librorum temporibus exposuimus, comprobatur.

Sin ponimus, re vera esse priorem epistolam tempore, quae est posterior loco, una etiam difficultate expediti sumus, quae, quamquam tolli eam posse etiam alio modo supra exposuimus, tamen inter omnes gravissimam esse concedendum est. Nempe si in epistola priore tempore composita artis poëticae, qua Severus floruit, nulla fieret mentio, posterior autem in hac fere una re versaretur, iure miraremur. Contra, quo amplius poëta de hac amici virtute priore epistola egerat, eo facilius in posteriore poterat eam omittere. Iam magis magis — que eo deflectimur, ut compositam esse nobis persuadeamus epistolam IV, 2 ante epistolam I, 8 eo fere tempore cum iam pars Ponticarum epistolarum Romam ad amicos missa esset. Quae tamen sententia tum demum satis stabilita erit, cum aliis quoque rationibus ostenderimus, libro quarto eodem modo ut tribus prio-

ribus libris non unius tantum brevioris temporis spatii carmina contineri. Quo iam convertamur.

Primo autem loco inspicienda est epistola tertia. In qua eundem plane sententiarum nexum deprehendimus, quo supra in priore epistola ad Graecinum missa usi sumus ad tempus carminis definiendum. Inconstantia enim amici male fidi his verbis castigatur v. 5 sqq.:

Dum mea puppis erat valida fundata carina,
Qui mecum velles currere, primus eras.
Nunc, quia contraxit voltum Fortuna, recedis,
Auxilio postquam scis opus esse tuo.

At quodnam tempus verbis: „Nunc, quia contraxit voltum Fortuna recedis e. q. s. . . ." significari potest, nisi id ipsum, quo fortunae immutatio facta est? Sequentibus autem exponit poëta, quanta sibi prioribus temporibus cum illo amicitia intercesserit (v. 11—16). Cumque iustam subitae invidiae causam reperire nequeat, cum irrisione sic interrogat v. 23 sq.:

Quae te consimilem res nunc vetat esse priori?
An crimen, **coepi** quod miser esse vocas?

Nonne haec apertissime ipsum conversionis tempus etiamtum adesse indicant? Conferenda sunt, quibus poëta utitur verbis, cum se e somno excitatum esse narrat III, 3, 93 sq.:

Dixit, et aut ille est tenues dilapsus in auras,
Coeperunt sensus aut vigilare mei.

Amici autem benevolentiam non servatam esse, poëta duplici ratione cognovit, primum quod neque factis ab eo adiutus, neque epistolis solatio affectus est, tum, quod etiam insultari sibi ab illo compererat (v. 25—28). At poëta eos, qui rarius, quam debebant, epistolas mittebant, iam in Tristium libris saepius increpuit (cf. IV, 7, 3 sqq., V, 13, 11 sqq.), iniurias autem malevolorum iam ante patriam relictam expertus erat (cf. Trist. I, 8), ita ut non esset, cur idem quarto exilii anno retractaret. Nam amicum fidem primo quidem exilii tempore servatam postea demum deposuisse suspicari non licet, cum plane diverso modo Ovidium invectum esse in eiusmodi sodales

perscpiciatur carmine Trist. V, 13 inspecto. Quod autem Schulzius (p. 36) attulit, ea de causa epistolam IV, 3 posteriori tempori attribuendam esse, quod lenissime tantum inimicus perstringatur, ne minimum quidem valet. Nam eodem iure quo ille prostratae iam mentis signum inde sibi sumit, dici potest, quo magis poëta salute desperaret, eo acerbius eum potuisse invehi in inimicos, quos antea ne laederet, ei timendum erat. Quamobrem epistolam IV, 3 non quarto anno sed primo habitationis Tomitanae tempore compositam esse conicio. Sed quaerat aliquis, cur non statim edita sit, quippe quae amici nomine non addito optime posset cuivis Tristium libro inici. Quod facile componendi ratione, qua Ovidius in Tristium libris usus est, explicatur. Noluit enim adicere novum carmen eius generis, cuius singulis Tristium libris singula inseruit. Ita epistola multo antea scripta post complures demum annos in publicum prodiit. Atque hanc quidem non antea ad eum, qui appellatur, missam esse, neminem fugere potest.

Plane alio modo in epistolis XII et XIV temporis indagandi facultas comparatur. Quas non magno temporis intervallo disiunctas esse, indicari videtur versibus in alterius capite positis: XIV, 1 sq.:

Haec tibi mittuntur, quem sum **modo**[1]) carmina questus,
Non aptum numeris nomen habere meis.

Epistola enim duodecima continet ludum illum metricum cum Taticani nomine institutum (v. 1—16), ex quo cognoscimus, non primo statim tempore ad hunc amicum carmen missum esse cf. v. 17 sq.:

Haec mihi causa fuit dilati muneris huius
Quod meus adiecto fenore reddet amor.

Temere autem Schulzius (p. 31) versibus 39 sq.:

Tu modo per superos, quorum certissimus ille est,
Quo tuus adsidue principe crevit honor. —

— — — — — —

[1]) De verbi „modo" vi alio loco iam egimus.

usus coniecit, Augusto iam mortuo carmen compositum esse. Nam etiam vivum imperatorem saepissime Ovidius deum appellavit (cf. Trist. I, 2, 3 sq., III, 1, 35 sqq., V, 2, 45 sqq. Ibis 23, ex P. I, 2, 99 sq.) — Alterum carmen scriptum esse, cum iam exulis poëtae opera quaedam in publicum prodiissent, inde consequitur, quod Tomitae de patria sua contumeliis onerata indignati ad ipsa carmina relegantur, quibus non de hominum sed de terrae asperitate querimoniae fundantur v. 25:

Quilibet excutiat nostri monimenta laboris,
Littera de vobis est mea questa nihil.

Postea autem (v. 47 sqq.) poëta narrat, immunitatem sibi nuper a Tomitis datam esse. Quod quamquam ceteroquin non commemoratur, nisi in epistola IV, 9 (v. 97 sqq.) anno 16 composita, tamen ad tempus carminis IV, 14 eruendum nil valet, cum altero illo loco non dicatur, quamdiu poëta iam hoc honore fruatur. Sed summi momenti sunt, quae postea Ovidius in ipso carmine Tuticano misso profitetur v. 43.

Tam felix utinam, quam pectore candidus essem,
Exstat adhuc nemo sancius ore meo.

Eo enim modo profertur sententia, ut intellegamus, gloriari poëtam, non solum Tomitis, sed etiam omnibus hominibus se adhuc ore i. e. carmine pepercisse: At si alios laesisset non mirum esset: in Tomitis ne causam quidem contumeliarum datam esse dicit v. 45:

Adde, quod Illyrica si iam pice nigrior essem,
Non mordenda mihi causa fidelis erat.

Num autem poëta contendere posset, neminem carminibus suis saucium esse, tum, cum iam Ibin, carmen inimici cuiusdam conviciis ut obscuris tectisque, ita acerbissimis refertum edidisset, iam dudum viri docti dubitaverunt. Attamen poëtam rhetorum more etiam alibi non nimis veri normam observavisse, scimus. Velut, quod dicit, se de terra, non de incolis Ponti questum esse, id quantopere a vero recedat, lectis Tristium carminibus (I, 11, IV, 10, V, 10, 39 sqq.) perspicitur. Praeterea, cum non primo statim exilii tempore Tuticanum adiisset (XII, 7

sqq.), vix potuit epistolam IV, 14 mittere, nisi editis iam nonnullis eorum carminibus, quibus inimicorum amicorumque male fidelium atrocitatem perstrinxit velut Trist. I, 8, III, 11, IV, 9, V, 8. Sed de his fortasse poëtam consulto tacuisse poni potest nimio sui ipsius excusandi studio abreptum, cum carmina et brevia sint et non omnes iram plane inexpiabilem spirent. Quid autem de Ibide iudicemus? Num animum inducamus, carmen admodum magnum, tanta diligentia, tanta doctrina, tanto denique obiurgandi studio compositum, plane omitti potuisse, siquidem tum, cum epistola IV, 14 componeretur, iam in lucem prodiisset? Nego tantum neglegentiae crimen, ulla alia explicandi via relicta, merito in eum poëtam conferri, qui primis Ibidis versibus tam ample exposuerit, se iam in eo esse, ut relinquat inerme illud candidumque carminum genus, quo solo adhuc usus sit.

Quaerendum igitur est, quo tempore Ibis, quod dicitur, carmen compositum editumque sit, antequam de carminum Tuticani nomine inscriptorum temporibus iudicium fieri possit. Undecimum autem se vitae lustrum agere poëta dicit v. 1 sq.:

Tempus ad hoc, lustris bis iam mihi quinque peractis,
Omne fuit Musae carmen inerme meae.

Ergo ultra mensem Martium anni 766/13 carmen proferre non licet, quamquam Woelffelii sententiam (p. 2319) non omnibus viribus impugnaverim, qui adeo verba premere vetat, ut non etiam uno anno longius procedere concedatur. Sed licet recte animadverterit, eandem intercedere inter Ibin et quattuor „ex Ponto" libros rationem, quam inter secundum Tristium librum et ceteros, temporis inde indicium iniuria desumpsit. Ante Augustum autem mortuum carmen ortum esse, efficitur versibus 23 sqq.:

Di melius! quorum longe mihi maximus ille est,
Qui nostras inopes noluit esse vias.

Vide quo devehamur! Epistolam IV, 14 post Ibidem editum scribi potuisse negavimus. Utramque igitur epistolam Tuticano missam ante annum 767/14 scriptam esse consequitur. Quam

ratiocinationem Merkelius et Woelffelius eo disturbare conati sunt, ut, cum compositum esse Ibidem priore tempore negari nequeat, postea demum in lucem prodiisse statuant. Metuisse Ovidium Merkelius (prolus ad Ib. p. 352) suspicatur, dum ulla veniae impetrandae spes superesset, ne potentissimum inimicum laederet: quamobrem eum aut ipsum non edidisse carmen, aut amicos, quibus edendum misisset ei obtemperare dubitavisse.[1])

Sed siquid disci potest ex irrito illo virorum doctorum Ibidis personae eruendae studio id certe perspicitur, omnino eum non tam accurate depictum esse, ut cognosci potuerit ab eis, qui non, quae ei intercederet cum Ovidio simultatis ratio, penitus compertum haberent. Famae igitur eius Ovidius carmine edito non magis nocuit, quam brevibus illis carminibus Tristium libris insertis, quorum quin nonnulla ad eundem missa sint, vix dubitari potest. Quae quamquam tam minuta sunt, ut poëta ea memoriae lectorum non inhaesura esse possit existimare, tamen luculentissime demonstrant, non voluisse Ovidium inimico parcere. Quamobrem persuasum habeo, nunquam Merkelium Ibin multo postea, quam scriptus sit, editum esse sibi conficturum fuisse, nisi in molestissimo illo epistolae IV, 14 loco haesisset. At nonne magis decet, rationibus oblatis fortiter uti, quam timide evitare, quae ex eis consequuntur? Epistolae igitur Tuticani nomine inscriptae vivente etiamtum Augusto, neque tamen primo exilii tempore compositae sunt.

His ostendere conati sumus, non temere nos supra in epistolis Severo missis eam rationem secutos esse, ut epistolam IV, 2 epistolae I, 8 tempore antecedere statueremus.

Restant duae epistolae, undecima ad Gallionem, decima sexta ad Invidum, qui utrum Ibis sit, necne e paucis versibus

---

1) Sententiae hoc loco ab eo expositae, non video qua ratione adaptari possint, quae idem proferet (l. c. p. 389) contra Salvagnium Boëssium: „Si Ibidis notitiam ex aliis Ovidii libris informandam putabat, non erat, cur Pontica adiret: Meminisset, ea scripta esse post XI vitae Ovidianae lustrum, h. e. post editum Ibin,"

bus ad eum spectantibus cognosci non potest, data, in quibus temporum indicia nulla apparent.

Iam, quae de libro quarto exposita sunt, complectamur: Certo tempori adscribi possunt epistolae sex, e quibus IV, V, VI, VIII, X aut paulo ante, aut paulo post Augusti mortem scriptae sunt; epistola IX non potest esse nata ante annum 767/16. Post priores Ponticarum epistolarum libros editos Pompeio missa est epistola I, ad hiemen annorum 14/15, aut ad ineuntem hiemem annorum 15/16 referenda est epistola XIII. Incerto tempore post Augusti mortem ad Pompeium data est epistola XV, neque minus Tiberio iam regnante ad Vestalem epistola VII. Omne autem temporis indicium desideramus in epistolis XI et XVI. Ad prius denique tempus referendae visae sunt epistolae II, III, XII, XIV.

Eandem igitur fere condicionem huius quoque libri, quam priorum trium librorum esse cognovimus. Quamobrem non ita longe a vero abesse mihi videtur Graeberi coniectura his verbis prolata (p. IX) „Facile conicias, post mortem Ovidii quarto libro, omnes, quas Romam ex Ponto miserat epistolas, quae nondum prioribus libris continerentur, et collectas et in vulgum missas esse ab amico quodam, etiam si quae iam ante tres priores libros editos scriptae erant . . ."

Sed non solum eas epistolas insertas esse verisimile est, quae priorum trium librorum tempore composita sint (ut videtur Graeberus existimare), sed etiam una minime inest (IV, 3) quae ad primum exilii tempus pertinet.

Sententiae controversae.

1. Horat. I, 29, 14 „Socraticam domum" non de familia aliqua philosophorum, ut plerique censent, sed de domo, cuius dominus philosophiae studio insignis est, intellegendam esse contendo.
2. Non recte Kornius (Mus. Rhen. XXII, p. 201 sqq.) Ovidii carmina Trist. I, 5, v. 57—84. ex Pont. I, 4, I, 3, I, 2, I, 10, I, 1 per strophas distribuit.
3. Ovid. ex Pont. I, 1, v. 7 scriptura antiquissimi codicis Hamburgensis: „**At** quotiens dixi . . . . ." servanda est.
4. Ovid. Heroid. V servandi sunt versus, qui leguntur post v. 24:

   21. Incisae servant a te mea nomina fagi,
   Et legor Oenone falce notata tua:
   23. Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt:
   Crescite, et in titulos surgite recta meos!
   Populus est, memini, fluviali consita ripa,
   Est in qua nostri littera scripta memor.
   25. Popule, vive, precor, quae consita margine ripae
   Hoc in rugoso cortice carmen habes:
   27. „Cum Paris Oenone poterit spirare relicta
   Ad fontem Xanthi versa recurret aqua."

   quamquam desunt in codd. P. et G.
5. Antiphon V, § 26 verba: *καὶ τοῦτο μὲν ἀκριβῶς οὗτοι ἴσασιν* cum irrisione dicta esse censeo.
6. Antiphon VI, § 44, iniuria Blassius et Maetznerus Petitum secuti temporum indicia corrupta esse iudicaverunt.

VITA.

Georgius Wartenberg natus sum Non. Novembr. a. h. s. LXI Berolini patre Carolo, matre Maria e gente Ohse, fideique asscriptus sum evangelicae. Primis litterarum elementis domi imbutus mox adii Lutheri ludum, unde post duodeviginti menses in gymnasium Colloniense receptus sum, quod tum regebatur ab Adalberto Kuhnio, viro comparandi linguas arte celeberrimo. Cuius una cum aliorum praeceptorum de me optime meritorum institutione per novem et dimidium annum fructus, mense Martio anni 1880 maturitatis testimonio accepto, accessi ad Almam Matrem Berolinensem, ut per bis sex menses interessem scholis virorum doctissimorum Althausii, E. Curtii, Kiepertii, Kirchhoffii, Lassoni, Mullachii, Roberti, Vahleni, Wattenbachii, Zelleri, Zimmeri. Deinde Lipsiam transgressus audivi de Bahderum, G. Curtium, Langium, Ribbeckium, exercitationibusque proseminarii philologici a Lipsio recti interfui. Tum reverso mihi in patriam urbem iterumque civium academicorum Berolinensium numero asscripto, et eorundem, quorum antea virorum doctissimorum, et Dielsii, Dilthei, Hübneri, Paulseni, Müllenhoffii, Rödigeri, Schereri scholas frequentare placuit per quinquies sex menses, admisso praeterea ad exercitationes philologicas Dielsii Hübneri, Vahleni, epigraphicas Kirchhoffii, archaeologicas Roberti, germanicas Müllenhoffii et Schereri benevolentia. Denique seminarii Regii philologici sodalis fui extraordinarius per sex, ordinarius per ter sex menses, societatique academicae philologicae cum Lipsiae tum Berolini addictus sum. Quantum autem debeam cum viris, quos enumeravi, omnibus, tum praecipue Hübnero, Kirchhoffio, Vahleno, non hoc loco, ut vellem, profiteri possum.

